conſuleret, ſuis, aliorumque oculis tegens corporis nuditatem, cujus ut nos puderet, peccatum fuit cauſa. Hinc ſequitur veſtes utiles non eſſe, niſi quatenus conformes ſunt duobus hiſce finibus, qui illa, ut ita dicam, inſtituerunt. Verum nonne liquet, luxum utrique ſuperfluum eſſe, & magnifica indumenta non ſolum neceſſaria non eſſe, verum etiam, fini, atque inſtitutioni veſtium adverſari? Hic igitur noxius eſt ſuperbiæ, & vanitatis abuſus; atque tot veſtium ritus, & ornamenta veſtibus ipſis ſuperaddita, ut plurimum, decorem ipſum lædunt, atque modeſtiam.

Veſtium inſtitutio ex peccato profecta.

De fide eſt, primam veſtium inſtitutionem ex primorum patrum peccato profectam eſſe, qui cum ſeſe hoc inquinaſſent Dei mandata perſringentes, pudore ſuffuſi propter inordinatam, quam in corporibus ſuis experiebantur, affectionem ſibi folia ficus conſuerunt & Deus, qui eorum infelicitatis, ac ſtatus miſertus eſt, in quem ſua illos inobedientia perduxerat, pelliceas illis veſtes concinnavit. Veſtes itaque nota ſunt ac teſtimonium peccati, ſimulque lapſus, quo homo dejectus fuit de gradu, qui in innocentiæ ſtatu nullis egebat operimentis. Et in ſtatu, in quo creatus fuit homo, nobilis erat; in ſtatu peccati; in quo naſcimur, veſtes ſigna ſunt noſtræ paupertatis, vel potius ſervitutis: unde ſequitur, non ferendam eſſe ſuperbiam ex veſtibus ipſis gloriam aucupari, quæ licet nitidæ, ac magnificæ, ſunt tamen noſtræ infirmitatis indicia, & cauſæ pudoris.

Vana ornamenta puritati oppoſita.

Virtus, quæ corpus noſtrum honore aliquo dignum efficiat, pudicitia eſt; ſed mundanitas illud hoc exuit bono, & vana ornamenta ipſum reddunt infame, quippe ipſum in incontinentiæ ſuſpicionem accerſunt: quamobrem Tertullianus ait, caſtitatem, ut perfectam habeat pulchritudinem, non quærere ornatus; ipſamque eamdem eſſe pulchritudinem, quæ nunquam Deo placeat magis; quam cum vitioſis hominibus diſplicet.

Chriſtiana veritas eſt, ac ſenſus ſtatui, & conditioni, in qua in hac vita ſumus, conformis, noſmet ipſos a nobis habendos eſſe veluti reos, quibus, ſimul ac vitam accepimus, prolata fuit mortis ſententia, & quibus in ſingula momenta ſententiæ hujus executio expectanda eſt. Reum autem morte damnatum quis ornat? hoc tamen quotidie pleræque mulieres, ac virgines faciunt: quippe ornant corpus morte damnatum, quia corpus eſt peccati, ut loquitur S. Paulus. Illud palpant, locupletiſſimis ornatibus inſtruunt, & interim illud ipſum mortificare, atque, ut cum eodem Apoſtolos ad Galat. 5. loquar, crucifigere tenentur: *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitii. & concupiſcentiis.*

Feſtorum dierum prætextus luxũ, veſtiumque pompam non probat.

Non deſunt, quæ luxui, vanitatiſque ſuæ prætexunt eam, quam habent, cupiditatem dies feſtos colendi, atque hoc pacto aliquid eorum celebritati conferendi. Licet profecto diebus hiſce nitidius indui, & ut cum Scriptura loquar, feſtivitatum, ac lætitiæ veſtes aſſumere; verum ſemper non ſine ea modeſtia, & decore, quem ſtatus, & conditio ſingularum requirit. Etenim non ſacrificium, cui intereſſe tenentur, non Dei verbum, non divinum officium, quæ præcipuæ ſunt horum dierum cæremoniæ, vanum hunc exigunt apparatum, qui potius turbare poteſt feſtivitatem, & ſanctam requiem, propter quam dies illi inſtituti ſunt. Hoc quippe idem eſt, ac in ſanctis locis exponere idola, quæ in ſe oculos adſtantium convertant, eoſque avertant ab aris, & prohibeant, ne verbo Dei, ſacriſque myſteriis ea, quæ opus eſt, adhibeatur attentio. Ita ara contra aram ſtatuitur, ut ibi animæ dæmoni immolentur, inanibus ornamentis, & exquiſitis veſtium elegantiis, quæ, ut S. Cyprianus inquit, ſunt totidem gladii mortis vulnus inferentes animabus, quæ in ſanctos hoſce locos ad vitam gratiæ percipiendam venere.

Regulæ in veſtibus adhibendæ.

Potiſſima, quæ hac in re tradi poſſit, regula ex ſtatu ſingulorum deſumenda primum eſt. Cum enim profeſſio noſtra ab electione cujuſque pendeat, nemo jure conqueri poteſt? quaſi cogatur vitam inſtituere ſecundum eam convitionem, cui ex propria adhæſit voluntate. Hinc potiſſimum modus petendus eſt, & non ſecus; ac corporis magnitudo regula eſt magnitudinis indumentorum, ita ſtatus, conditio; & gradus ſingulorum norma eſſe debet pretii, & qualitatis eorumdem. Hoc ita inſtituere humana debuit politia: ſicuti enim ſocietas, quæ vitæ civili eſt neceſſaria, exigebat, ut variæ eſſent artes, variique mortalium ſtatus, ut neceſſitatibus, quæ illic occurrunt, ſatisfieret, jure eos cogere potuit, at quiſque profeſſionis ſuæ geſtarent inſignia. Hoc autem ſapientiſſime inſtitutum eſt; quippe in hac ſocietate omnino neceſſarium eſt, ut ſinguli intelligant, quicum res ſibi ſit: cumque cognitio hæc hauriri non poſſit ex facie, neque ex aliis corporis noſtri lineamentis, ex veſtibus deſumenda fuit, quod primum eſt, quod oculis accidat, objectum. Quod vero magis nos de regulæ hujus æquitate perſuadet, ea eſt perturbatio, quæ hodierna die in mundo gliſcit, ex quo lex, vel regula iſta perperam obſervatur. Attamen non hoc unum illud eſt, cujus ratio habenda ſit diligenter: etenim in quolibet ſtatu, ac profeſſione conſideranda quoque eſt ætas perſonarum; ornamenta quippe, quæ decent adoleſcentiam, provectiorem dedecent ætatem. Præterquamquod hac in re non modicam ſibi partem vendicat conſuetudo; nam veſtis, quæ olim in more erat poſita, nunc temporis obſoluta eſt, Sequi igitur licet, quod fieri conſuevit; verum ſemper intra ſtatus ſui, ſuæque conditionis modeſtiam.

Qualitas, vel conditio perſonarum prætexere nõ poteſt luxũ, vel immodeſtiam.

Quod attinet ad veſtium, ornatuumque pretium, fatentur omnes, hos accommodari poſſe opibus, generi, & conditioni ſingulorum: ſed etiam æque certum eſt, nullam eſſe conditionem, genus, opes, quæ luxum permittant, hoc eſt ſuperfluam profuſionem, quæ minimum confert, ut deprehendatur conditio noſtræ, quæ magis nitebit ex modeſtia, ſapientique agendi ratione, quæ hac in re ſervabitur. Multo igitur minus qualitas iſta, vel conditio facultatem præbere poteſt, vel jus immodeſto veſtium genere utendi, eaque parum honeſta ratione, quæ pudorem, & chriſtianam lædat modeſtia. E contra vero cum qualitas, & conditio eos, qui aliqua nitent auctoritate, jubeat facem præferre, & præbere exemplum aliis; qui eorum facta, moreſque ſequuntur, jubet quoque abſtinere, ne veſtibus parum modeſtis, nimiſque magnificis luxum, & immodeſtiam invehere videantur.

Puritatis cura in mulieribus, & puellis externum cultum regere debet.

Hoc etiam certiſſimum axioma eſt, externum corporis cultum in fœminis, virginibuſque cura, & amore puritatis eſſe regendum; neque enim decipiamini putantes caſtitatem in ſola corporis integritate conſiſtere, ejuſque obligationem, quæ omnibus hominibus pro ſtatus ſui conditione inevitabilis eſt, nequaquam uſque ad exterioris indumenti regulam extendi. Quicumque amabilem hanc diligit virtutem, bonum etiam illius odorem habet in pretio, nihilque vel in ſe, vel in aliis pati poteſt, quod vel leviſſimam illi nebulam valeat offundere; ideoque vitium illi oppoſitum odit, & ne minima quidem illius ferre poteſt indicia, qualia proculdubio ſunt veſtium immodeſtia, & hi recentes indumentorum ritus, qui honeſtati, atque verecundiæ officiunt; verbo, quidquid vel minimæ locum præbere poteſt ſuſpicioni. S. Cyprianus de chriſtianis virginibus ait, cum illæ ſint membra Filii Dei, ut S. Paulus Apoſtolus inquit, cumque ſimul omnes corpus J. C. componant, J. C. more, non autem mundi, qui illius eſt infeſtiſſimus hoſtis, eſſe induendas. Chriſtianæ virgines ſunt etiam templum Spiritus Sancti; ideoque parentibus, qui cuſtodes earum ſunt, cavendum eſt quam diligentiſſime, ne earum ſanctitatem corrumpant, ne illis inhabitans Deus loco cedere teneatur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribus concionatoribus loci hujus argumenti.

Veſtium luxus non extrema eſt ſæculi vanitas.

NE quid dicam de criminibus aliis, quibus improbitas luxum, veſtiumque magnificentiam inſervire facit, citra hyperbolem, & quin veritati aliquid ſuperadſtruatur, dicere poſſumus, ſeſe ornandi curam vaniſſimam eſſe omnium occupationum, quæ umquam extiterint. Quænam indumentorum, ornatuumque præſertim vero in mulieribus ſuperflua cura! Tanta eſt eorum multitudo, atque varietas, ut veteres ad illam innuendam aptius vocabulum invenire non potuerint, quam *mundum* vocantes; ſeu quid omnium elementorum exuviæ adhibentur, ſeu quidquid perrarum, ac pretioſiſſimum omnibus in terris invenitur, ad earum exornandas veſtes impenditur. Quomodocumque ſit, conſtat univerſum hunc apparatum a vanitate excogitatum fuiſſe, atque tot minutis operibus meliorem artificum partem exerceri, qui nonniſi ad luxum, & vanitatem alendam operantur. Tandem enim opera denticulata, vittæ, amenta, abyſſinæ, ſericæque veſtes, laciniæ, ac indumentorum ritus, qui recenter quotidie ſubinferunt, & qui ad aciem oculorum oblectandam, luxumque alendum excogitantur, plures exercent manus, & brachia, quam res illæ, quæ humano victui magis utiles ſunt, & neceſſariæ; ideoque dici poteſt hæc maxime omnium manifeſta vanitas eſſe, quam paſſim ubique populi, & nationes omnes excipiunt, & exprobrant: nam quæcumque leges rogatæ fuerint ad illius curſum inhibendum, hominum hac in re obſtinata voluntas efficiet, ut ſemper dominetur.

Veſtium ſumptus mera vanitas eſt.

Nihil magis inane eſt, quam de re illa gloriari, quæ noſtra non eſt. Videri velle divitem ſub aliena, mutuataque veſte, & modicum illud naturalis formæ, quod habemus, commendare velle fuco, & arte, vel aliquot lapillorum beneficio, quæ ſummo pretio comparantur. Nihil nobis honorificum eſſe poteſt, niſi quod pendet a nobis, atque ipſi opifices eſſe debemus ejus exiſtimationis, quam acquirere volumus. Quo magis alienis indiges rebus, ut te exornes, eo magis tuam oſtendis paupertatem: ille enim ditior eſt, qui minus eget. Nemo enim toto ornatuum ſupellectilem jactare poteſt, quin ſuam oſtendat egeſtatem. Verum enim vero ratio illa philoſophum ſapit; atque hæc Senecæ argumentatio parum apta eſt, quæ adeo generali malo medeatur. Attamen ſi homo rationi aurem adhibere vellet, fateretur hanc fatuam eſſe, putidamque vanitatem, exiſtimationem ſibi conciliare velle exteriori hoc cultu, qui vel pauperis artificis opus eſt, vel captivi alicujus animantis exuviæ, vel terræ fructus, qui ars nitorem adjecit. Forma quippe veſtis, quæ induitur, & phrygium opus, quo pannus ipſe exornatur, non alius eſt, quam opus hominis, cui aliquando offa deeſt ad vivendum. Aurum iſtud, quod nitet, nihil eſt, quam parum terræ ſolaribus radiis excoctæ, atque igni depuratæ; uniones non aliud ſunt, quam fluens concharum ſaliva: ſericum non aliud, quam bombicum ſpuma, & excrementum: molliſſima vellera, non aliud, quam ovium exuviæ, & laciniæ, & opera denticulata, non aliud, quam egenorum labor, quos fames ſæpe coegit, ut nonniſi in ſervitute vitam ducere poſſent. Hæc omnia coemuntur, & nihil horum ex noſtro penu eſt. Mera igitur vanitas eſt, & putida oſtentatio ex judicio ejus, cui vel modicus rationis, ac ſanæ mentis ſit uſus. *Idem.*

Veſtes nobis erubeſcendi potius, quam ſuperbiendi cauſa eſſe debent.

Ut magis chriſtiane loquamur, nonne vanitas eſt non ferenda, in honore eſſe velle propter id, quod ruborem nobis deberet offundere, atque ſuperbiæ cauſam ex noſtræ ignominiæ nota deſumere? Ut de vero honore æquum judicium feramus, origo illius inquirenda eſt, ac videndum, qui illum pepererit. Quænam autem eſt cauſa magnifici hujus veſtium apparatus, quem poſt ſe vanitas trahit? Non alia ſane præter primi hominis peccatum; veſtium neceſſitas eſt prima veluti inobedientiæ, atque rebellionis ejus pœna. Donec in innocentia ſua perſtitit Adam, nullum fuit veſtibus opus, & hoc infame eſt noſtræ prævaricationis indicium. Hoc ferre tenemur, ut univerſæ naturæ teſtemur nos eſſe poſteros infelicis illius viri, qui propter infidelitatem ſuam de terreſtri paradiſo ejectus fuit. Quomodo ergo citra noxiam vanitatem fieri poteſt, ut infamiæ noſtræ characteribus utamur ad hoc, ut habeamur in pretio, & honeſti viri habeamur? *Idem.*

Sæpe ſe contemptibilem facit, qui veſtium pompa niteſcere quærit.

Aliquidne magis vanum, & ridiculum eſt, quam inſignes erogare ſumptus in veſtes, ac ſemet ſubjicere varietati rituum ſemper recentium, atque mobilium, ut nobis contemptum conflemus apud eos, qui virtute ſunt præditi, & ſanæ mentis habentur? Nonne hoc juſta eſt inſanæ vanitatis eorum pœna, videre in hac veſtium magnificentia, illum minoris fieri, qui iiſdem ornatur; atque veſtes quidem commendari, eum vero, qui illis induitur, contemni? Si homines illi audire poſſent, quid de ſe dicatur, ſi digito ſe oſtentari cognoſcerent, ſi ludibrium, in quod ipſorum vertitur magnificentia, & judicia, quæ fiunt, & quæ plerumque validis innituntur rationibus, ſcirent: ſi exploratæ illis eſſent improbæ animadverſiones, quæ in ipſorum genus, mores, vitamque inſtituuntur, ferrene poſſent cenſuras, contemptus, irriſiones, probra, & parum æqua judicia, quibus juſtiſſimam præbent occaſionem? Hunc illi fructum, hanc mercedem percipiunt ex totis laboribus, ac motibus, quibus ſe ipſos torquent: hoc illud thus eſt, quod hiſce vanitatis idolis adoletur: hic honor ille, quem ſibi conciliant tot mulieres, ac puellæ, quæ ſibi perſuadent veluti numina quædam coli, ſtatim ac auro, lapilliſque pretioſis ornatæ ſunt. *Idem.*

Libenter equidem ex his perſonis, quæ tanta cura, ac tot ſumptibus ſe ipſas exornare ſatagunt, percontarer, cuinam placere ſtudeant inani hoc apparatu, & cujuſnam exiſtimationem, & approbationem perquirant? Numquid ſtultorum hominum, ac ſana mente carentium, an ſapientium, & cordatorum? Si primum, curæ earum non omnino inutiles ſunt, qui eidem addicti ſunt vanitati, eas admirabuntur, eaſque fortaſſe imitari contendent. Sed ſanæ mentis homines, qui eam, quam de ſingulis habent, exiſtimationem ab uniuſcujuſque ſpiritu, virtute, prudentia, factiſque metiuntur, quid judicare poſſunt de hiſce mundanis mulieribus, quarum mens tota corporis cultui occupata, nugis tantummodo, ornatibus, recentibuſque veſtium ritibus intenta eſt? Homines, inquam, ſanæ mentis, quin temere judicent, aliudne cogitare poſſunt, niſi quod hæc magnifica operimenta, hi exquiſiti ornatus ſigna ſint vanæ mentis, animæ mundanæ, exilis ingenii, quod ſeriis, & alicujus momenti rebus eſt impar. Profecto neſcio, utrum hic ſubſiſtent videntes, quod omnes Sancti Patres inde infeliciſſimum hauriunt omen, & longe iniquiorem ſuſpicionem de earum vitæ ratione, integritate, innocentia, exiſtimatione. Sed hic immoremur, neque progrediamur ulterius. *Idem.*

Veſtes nimis mundanæ ſunt indicia animæ parũ caſtæ.

Fideine conſonum eſt, eam mulierem, quæ credi vult ſibi cordi eſſe honeſtatem, ac ſe perhorreſcere cane pejus, & angue, quidquid pudorem lædere poteſt, pati poſſe affectatos ornatus, quo libido, atque licentia pro illis tantum excogitavit, quarum proſtat pudicitia? Nequaquam libenter geruntur ejus domini inſignia, cui famulari detrectamus. Si impudicitiam horres, & execraris, cur illius notas gerere nec piget, nec pudet? Cur illas appetis illecebras, ex quibus ejus cupiditas poteſt ſuboriri? Si ab impuritate abhorres, cur eo in ſtatu prodis, qui illius ſuſpicionem ſaltem poteſt ingerere? Eſto quidem innocens, & ne improbiſſima quidem calumnia aliquam nomini tuo labem poſſit offundere; eſto etiam, quod vix aliquis ſibi perſuaſerit, nullo tenearis amore nugarum, quas aliæ depereunt, & quidquid agis, a te fiat, ut te conſuetudini accommodes, ne inter cæteras digitos noteris. Illud mihi negotium faceſſis, quod audio te adeo intentam eſſe, ut conſuetudini pareas, & ut omnibus, qui de novo prodeunt, ornatuum ritibus ſtudeas, teque hac in re eſſe adeo difficilem, ut nihil ſibi ſatisfacere valeat, ac ſi quid minus callide comptum, ornatumque eſt, iraſcaris, omneſque domeſtici indignationis tuæ experiantur effectus. Hoccine argumento eſt, te rebus hiſce parum inhærere, vel potius ab illis prorſus animo divulſam, eſſe quemadmodum te cogit Evangelium, atque religio. *Idem.*

Difficile eſt cum hac placendi cura innocentiam tueri.

Profiteris tibi cum omnibus his ornamentis nullum pravum eſſe conſilium, nullam noxiam intentionem, atque conſcientiam tuam hac in re nihil tibi exprobrare; verum cogitaſne, quam difficile ſit amorem afflare, quin flagres eodem? Diffiteri nequis, omnia hæc ornamenta, quæ amorem redolent, adhiberi, ut ſpectaris, ut in te intuentium oculos convertas, verbo, ut videris venuſtior. Vis ergo placere, atque obtutu tuo eorum, qui te ſpectabunt, amorem illicere? Vis ergo ignem admovere, & uri vis? Te innocuam arbitraris, dum nocentes facis? Et quia in illud non ruis præcipitium, in quod alios impellis, te noxa vacuam putas? Scias apud Deum non differre eum, qui peccatum committit, ab eo, qui ad peccandum ſollicitat; Sanctos Patres docere quemadmodum inter duo hæc verba luxum, & luxuriam, unius tantum ſyllabæ diſcrimen intercedit, ita ab uno ad aliud crimen unum tantummodo gradum intereſſe; & eas, quæ tantam adhibent curam, ut amentur fidem adſtruere, ab ipſis etiam plurimum amari. *Idem.*

Qui in luxu vivunt, vitam ducunt parũ chriſtianam

Quomodo amare poſſunt Deum illæ, quæ ſibi totum, corporiſque ſui curæ vacant? Quænam virtus inveniri poteſt in muliere, quæ meliores diei horas ſeſe calamiſtris exornando conſumit? Ullane virtus eſt, quæ fuci, nævorumque ope fulgidior videatur? Mortales adeo molles aguntne pœnitentiam ſub holoſericis, aureiſque indumentis? Equidem ſcio, me nunquam vidiſſe cilicia ex ſerico, auroque contexta, quamvis Tridentinum Concilium affirmet opus eſſe, veri Chriſtiani vitam jugem eſſe debere pœnitentiam; & conſtat veſtem, quam Scriptura, & Sancti Patres attribuunt pœnitentiæ, ab ea prorſus differre, quam mundanæ mulieres, & deliciis effæminati viri ut plurimum gerunt. Nunquid illæ bona opera exercent? Immo illæ quadam ex parte miſeros faciunt; veſtium ſuarum ſinus, ut loquitur Propheta, pleni ſunt ſanguine pauperum. Nunquid eleemoſynas erogant? Uberrimi reditus vix ſufficiunt ſumptibus, quos in pretioſis indumentis, atque ornatibus impendunt. *Idem.*

Aliena exempla, & conſuetudo non ſunt legitimæ excuſationes

Cauſa, quæ vulgo prætexitur, ut hoc malum probetur, conſuetudo eſt, & alienum exemplum. Omnes ejuſdem gradus, & nobilitatis mulieres hoc modo inducuntur, & memet eorum contemptui, & cachinnis objicerem, ſi veſte obſoleta, magiſque frugi ab illis vellem diſtingui. Hæc eſt conſuetudo, ais; verum licetne ex abuſu argumentum deſumere, ut alius propugnetur abuſus? Aliæ peccant, & ſi facis,

quod illæ faciant, peccatum addis peccato. Si illæ, cujus exempla ſectaris, peccare non poſſent, eorum agendi ratio tuam probare poſſet: verum cum illæ æque, ac tu vitioſe agant, vitium earum te vitioſiorem efficit, dum vis auctoritatem accedere luxui ex hoc exemplo, quod ultro citroque vobis præbetis. Noxia conſuetudo malum auget, non minuit; & vitium quo vulgatius, eo majus eſt. Accidit nonnunquam, ut ſceleſtorum numerus eos contra humanam juſtitiam tueatur, & protegat; non ita tamen coram divinam, quæ in pœnis exigendis eo ſeverior eſt, quo nocentium numerus, & qualitas eſt gravior. *Idem*.

Juventutis prætextus.

Aliquæ prætextum adferunt, qui profecto facilius admitti poſſe videtur, ſed qui tamen hac in re vitium excuſare non poteſt; ajunt, juventutem, qua fruuntur, mereri, ut aliqua ſibi permittatur gratia, & aliquid de ſeveritate, qua cum aliis agitur, remittatur. Non abnuo: aliquod eſſe debet veſtium diſcrimen inter ætates, non ſecus ac inter conditiones. Illis, quæ ætate provectiores ſunt, ſatis eſt, ſi mundæ ſint, adoleſcentioribus aliquid amplius conceditur, ut ſint ornatæ; verum non ſine eo decore, quem ipſarum petit conditio. Nequit ergo virginibus aliquod negari ornamenti genus, quod in nuptis probari non poteſt. Eo in ſtatu ſunt, qui eaſdem diſpenſat ab ea ſerietate, quæ intra meram ſeſe continere debet neceſſitatem. Illis negotium peragendum eſt, ubi plurimum poteſt venuſtas: ſed hoc non prohibet, quominus urbanitatis, chriſtianæque modeſtiæ regulæ ſervandæ ſint in ipſis etiam ornamentis; atque ſemper vitio verteretur levitas, & immodeſtia earum, quæ ob nimis exquiſitam cultus ſui elegantiam contemptibiles fiunt, & locum ſuſpicionibus præbent, quæ omnes viros ab illis ducendis deterrent. *Idem*.

Prætextus divitiarum.

Dicunt aliæ ſe locupletes eſſe, & ſi quid in ornatus, muliebremque mundum impendunt, ſe nemini damnum, & injuriam inferre, ſibique licere ſuis bonis uti. His, quid reſpondeam, non habeo, niſi quod exceſſus nulla in re probari poteſt. Verum eſt, inter diverſos conditionum gradus æquum eſſe, ut quilibet juxta ſuum vivat; atque politiam potiſſimum indumentorum varietatem inſtituiſſe ad ſtatuum, conditionum, & qualitatum varietatem indigitandam. Sed leges quoque cancellos luxui circumſcripſerunt, eumque ſemper in quovis perſonarum genere damnarunt; & niſi ſuperbia, & vanitas fines hos ſupergreſſa fuiſſet, nihil illis æquius, nihilque ſapientius eſſet conſtitutum. Addo ſolum, mortales utriuſque ſexus nobili natos loco ſemper magis in pretio haberi propter virtutem, ingenium, aliaſque dotes, quæ ſunt veluti nobilitatis ipſorum propriæ, quam propter veſtium magnificentiam, quam luxus, & ſæculi hujus libido omnibus ferme conditionibus communem fecit. Quod vero ad cæteros vulgo pertinet, hi ſemper quocumque modo magis modeſtia, quam luxu, & pompa proficient, quæ majorem ſemper ambitionem, & vanitatem, quam fortunæ bona deſignat. *Idem*.

Immodicus in veſtibus ſumptus corã Deo culpa non vocat, quantumvis locuples ſis.

Cogitas te nemini injuriam facere, eo quod mercatoribus pactam pro pannis pecuniam perſolvis, & opificibus locatam in magnificis ſarciendis veſtibus operam large rependis; ſed putaſne, Deum, quem tanquam bonorum omnium auctorem fateri debes, erga te liberalem extitiſſe, ut prodigus fieres? Perſuaderene tibi potes, integrum eſſe in quemcumque, tibi placuerit, uſum opes impendere? Si in agro tuo juberet ille thus naſci, putareſne, fas eſſe tibi illud idolo cuipiam adolere? Divitias habes, illas tibi divina contulit largitas, eaſque patrum tuorum induſtria, & frugalitas congeſſerunt, eaſque in bonum uſum teneris impendere; ſin autem in illa, quæ ſuperflua, & noxia ſunt, impenderis, Deo rationem es redditurus. Si liberalis es, uti eſſe potes, fac, pauperes potius, quam phrygiones id ſentiant; id ingentibus potius oſtende eleemoſynis, quam hac inutili in veſtibus, aliiſque id genus vanitatibus profuſione. *Id.*

Contra, id quod vulgo dicitur, virtuti nil eſſe cum tunica.

Hactenus quarumdam excuſationes peculiariter attulimus, quas ſuis prætexunt ornatibus, & luxui; at generalis omnium mulierum prætextus, & excuſatio eſt, tunicæ nihil eſſe cum virtute: colores omnes, omneſque ornatus nullo apud hanc eſſe diſcrimine: innocentiam, & ſanctitatem æque ſub aurato, ac ſub pannoſo integumento vigere; interiorem partem Deo inſervire poſſe, quamvis exterior, & corpus mundo obſequatur; cor mundum eſſe poſſe, quamvis externus corporis habitus mundi vanitatem redoleat. Non defuiſſe ſpectatiſſimas opibus, & genere matronas, inſigneſque reginas, quæ virtutis nitorem cum magnificentiſſimarum veſtium fulgore conjungerent; ſe in mundi luce vitam ducere coactas, debere quidem coram Deo innocuam vitam ducere; attamen hoc non prohibere, quominus aliquid etiam hominum oculis tribuant. Quæcumque veritas ſub hoc adeo ſpecioſo prætextu latere poſſit tot illuſtribus exemplis probata, ſemper tamen prætextus eſt, quem amor proprius invenit, naturali ſtudio, & ſecretæ vanitati velificaturus. Harum intereſt ſe ipſas coram Deo in adeo delicata re excutere, neque ingenium ſuum ambitioſum excuſare exemplis earum, quæ Domino fideles permanſerunt ea in neceſſitate, in qua erant, mundo licet invitæ, ac gementes præbendi magnificam ornamentorum ſpeciem, quorum per dignitatis generiſque ſui officia, quibus nullo deeſſe pacto licebat, divinæ majeſtati ſacrificium offerre non poterant. Huic autem adeo belle colorato prætextui reſpondeo, virtutem quidem in omni conditione inveniri poſſe; atque concedendum eſſe id genus perſonis, honeſtam veſtium mediocritatem ab illis, quæ in mundi luce verſantur, nimiæ negligentiæ eſſe anteferendam. Quemadmodum hac in re per exceſſum peccatur, ita peccatur etiam per defectum; & in hoc prudentia, exemplum earum, quæ ſunt ſpectatæ virtutis, ſapientum virorum conſilium, & obedientia, quæ debetur illis, quibus ſubjectæ ſunt, norma ipſis eſſe debent, earumque conſcientiæ tribuere tranquillitatem. *Idem*.

Utrum devotio cum ornatibus ſimul eſſe queat.

Conſtat, pietatem non eſſe omnium ornamentorum inimicam, neque promiſcue ea omnia rejicere, quæ placent, & ornant. Hinc quidem ſqualor, immunditia, & ſcruta nunquam fuere virtutis inſignia, nullumque in evangelio, vel decalogo præceptum adeſt, quo illa jubeantur. Inde vero munditia, urbanus cultus, honeſtum indumenti genus nunquam vitiorum indicia extiterunt, & nullam vel in veteri, vel in novo teſtamento, vel Scripturam, vel traditionem invenio, qua illa damnentur. Hæc omnia ſuapte natura forma, & colore carent, atque in neutram partem inclinant; bonus, maluſve color illis accedit ex corde, & fine, ad quem cor illa convertit; & quemadmodum ibi eſſe poteſt ambitioſa ſimplicitas, ibi quoque inveniri poteſt magnificentia cum ſpiritus paupertate, & ornamenta cum modeſtia conjuncta. Et ſane cur ſimul eſſe non poſſint modeſtia, & munditia; vis, & gratia; pudor, & ornamenta, quandoquidem hæc ſimul conſenſiſſe tot exemplis docemur; quorum quædam in ipſis etiam Scripturis occurrunt, ubi videmus Abigailem humilem quidem, verumtamen ornatam ſine curioſitate, & ſine pompa; Juditham jucundo quidem, ſed virili ornatu comptam; & Eſther, quæ in infidelis aulæ licentia pietatem ſimul & pudorem tuetur, & cui regiis ornatibus utenti diadematis margaritæ pro cinere ſunt, regiaque clamys pro animi ipſius cilicio, potiuſquam corporis ornamento. *Ex Autore recenti*.

Veſtium vanitas ridicula eſt.

Quædam ſunt vanitates, quas fatuas appello, cujuſmodi ut plurimum ſunt matronarum hujus mundi vanitates. Non deeſt fatuitas quædam, ac imbecillitas mentis in vanitatis earum fundamento; etenim leviſſimas ob cauſas ſuperbiunt, ob fragilis formæ, quam habere credunt, umbram, ob exiguum aliquod bonum, quod poſſident. Sed fatuitas etiam, & imbecillitas mentis eſt in hujus vanitatis effectibus, quoniam ſe per veſtium pompam producit, quaſi hæc auri, lapillorumque ſplendore delere poſſet vel generis humilitatem, vel mentis, animique defectus. *Biroat in adventu ſermone de humilitate*.

Abrenunciatio religioſæ virginis.

Nullus ornatus præter ſimplicitatem, cultus nullus præter modeſtiam, hac vice tantum ſeſe mundo protulit, ſed ut annunciaret illi, ſe vanitatibus ejus nuncium miſiſſe. Etenim quiſnam error eſt in chriſtiana muliere id ornare, quod contemnendum eſt; pingere atque decorare idolum mundi, & quodammodo per vim, ſexcentiſque artibus, quæ indignæ pariter, ac inutiles ſunt, has retinere gratias, quæ cum tempore aufugiunt, luxumque indumentorum, mundique muliebris alere, qui non obſcure innuit, tacite religionem abdicari, cum chriſtiana modeſtia abdicatur. *Sermo manuſcriptus*.

Hæc exteriorum ornatuum cupiditas in hoc ſexu tanta eſt, ut magna animi vis requiratur ad hoc, ut mulier deferat, quod conditioni ſuæ penitus inhærere videtur. Et ſane ſi in aliqua vanitatis hujus moderatio, vel immutatio deprehenditur, hoc certiſſimum ducitur teſtimonium, ab illa non veſtium dumtaxat, ſed vitæ genus immutatum fuiſſe, atque exteriorem hanc cultus reformationem ad ipſum uſque cor, habituſque malos pervadere. *Idem*.

De veſtium immodeſtia a mulieribus evitanda.

Non patiebantur olim mulieres aperto capite in templum prodire; hodierna vero die per S. Pauli, & eccleſiæ contemptum, aliquæ huc ſeminudatæ accedunt, nihil-

nihilque diſcriminis aram inter, ac theatrum, miſſam, & comœdiam intereſſe arbitrantur .... Ornatus omni arte carere debent, ideoque immodicæ curæ, & adfectatæ eorum conquiſitiones damnandæ ſunt. Rejiciendæ ſunt eæ veſtium formæ, in quibus nimis elegantiæ, ſtudiique invenitur; iique relinquendi ornatuum ritus, qui novitate, vel inſolentia commendantur, qui nondum temporis præſcriptionem aſſecuti ſunt, qui non probantur conſuetudine earum, quas ſequi poſſumus, quin a virtute recedamus, & quin nomini noſtro labes offundatur. *Auctor Anonymus*.

Nunquid parentis mei peccatis, & damnationis ejus materia exornor? Nunquid hæ margaritæ pauperum lacrymæ ſunt? Hæc aurea, & holoſerica indumenta ſatiſne munda ſunt pupillorum ſanguine? In hac coccinea, argenteave palla aliquidne eſt ex pauperum ſudore, populique ſubſtantia? Quis pro certo affirmabit a me non ornari victimam divinæ juſtitiæ ignibus præparatam? Quod modo illis cremantur flammis, quæ ſæculi ſui idola fuerunt, & quæ reges, victoreſque duces in triumphum egerunt? Quid ſcio, utrum ad eumdem finem eadem via ſim perventura? Quid, utrum lapilli, unioneſque futuræ aliquando ſint prunæ, & carbones? utrum argenteæ, aureæque veſtes futuræ ſint ardentes tunicæ, quæ me in æternum cremabunt? Quid Deo reddam exprobanti mihi fucatam faciem, quam gratiam illius fuiſſe cariorem; ac minorem de conſcientiæ meæ tumultu geſſiſſe curam, quam de cincinnorum, capillorumque perturbatione? *Idem*.

De ornatuum adfectatione.

Adfectatio, ut ita dicam, luxus eſt ſocia. Hæc eſt immodica, & inordinata cura, vel nimis adfectata, ac ſpecioſa curioſitas in perquiſitione ornatuum, rituum, elegantiarum; & hanc luxus ſociam appello: cum enim veſtis propria ſit luxus materia, & ornamenta veſti ſuperaddita proprium adfectationis objectum, inde æqua illatione conſequitur, affectationem quodam ſocietatis vinculo cum luxu eſſe conjunctam. Novorum induendi rituum inſolentiæ alia addendi eſt, quæ vulgo eam comitatur, & quæ eo dementior videtur, quo ad majorem juvencularum numerum ſe extendit. De cyprio crinibus adſperſo pulvere loquor: ad quid enim iſta duorum extremorum tam longe diſſitorum commixtio, & confuſio hæc duarum adeo oppoſitarum ætatum? Cur ita flos annorum deletur? cur cana juventus, & inſana adfectatur ſenectus? Cur invita natura nix ſimul, igniſque miſcentur? *P. le Moine in tractatu de modeſtia*.

Vulgo mulieres elegantius ornatæ non bene audiant.

Fruſtra mulier ſeſe unionibus, lapilliſque exornaret: fruſtra, ut veteris cujuſdam ſcriptoris vocabulo utar, collo, capiti, digitis, auribuſque Indias omnes circumferret; nunquam ſatis eſſet ornata, niſi bona exiſtimatio omnibus hiſce opibus, atque ornamentis accederet. Fruſtra ſeſe iis omnibus inungeret unguentis, quæ vel natura profert, vel ars etiam componit; niſi bene audiat, male ſemper redolebit. *Idem*.

Veſtium luxus cõditiones omnes confundit, & alit avaritiam.

Quidquid principem ſecernit a ſubdito, nobilemque ab ignobili, veſtium pompa confunditur. Eos omnes, quos natura, genus, dignitas ſeparat, luxus permiſcet; nemo amplius dignoſcitur; mercator ſumptuoſius induitur, quam magiſtratus, & miniſter, quam princeps, & vix famulum ab hero diſtinguis... Nolo hoc in loco eas omnes rationes adſerre, quas univerſalis hæc vanitas habet cum avaritia; neque enim vos error decipiat, Auditores, prodigalitas ſæpe fovet avaritiam. Ita eſt; id ſerio affirmare non vereor; ſordidiſſima quævis avaritia ſæpe cum elegantiſſimo luxu invenitur; & addo, nihil hoc luxu pernicioſius eſſe, ubi reperiatur in illis, quibus deſit, unde quoſdam erogent ſumptus. Quid enim non audent? quæ enim avaritiæ ſordes turpiores excogitari poſſunt illis, quas in corde ſuo fovent? Ubi eorum fulgere luxum vides, ita ſane non judicas. Vides ſpectaculi venuſtatem, ſed artem, qua peragitur, non vides. In his magnificis veſtibus, in hac ſervorum caterva, in hoc apparatu non vides lacrymas creditoris, ſudorem opificis, & ſanguinem pauperis. *Ex ſermone, qui P. Maſſillon acceptus refertur*.

Fœminarum luxus ex placendi cupiditate profectus.

Affectus, qui paſſim in mulieribus dominatur, eſt placendi cupiditas; ſapientiſſima quælibet ſemper cum voluptate pulchritudinis ſuæ intuetur effectus; ornatuum cura ex hoc effectu veluti principio procedit. Porro omnes Sancti Patres ornatuum immodeſtiam, faſtumque condemnant, hæc quippe ſpectatoribus occaſio lapſus, & ſcandalum eſt. Illa, quæ in ſe intuentium oculos allicit, ſalutem eorum in diſcrimen vocat, ac rationem redditura eſt ſenſuum inordinatorum, quos in eorum cordibus ciet. Sed religioſa virtus hanc adfectationem non patitur, quæ noxia tantum accendere poteſt deſideria, & cogitationes pudori contrarias excitare. Ideoque Patres vehementer contra immodicos ornatus declamaverunt, quia æque funeſti ſunt & gerentibus, & ſpectantibus illos. Laquei ſunt, & tentationes. Fruſtra dicis, S. Cyprianus ajebat, cor tuum caſtum eſſe; in luxu tuo neſcio quænam improbitas adeſt, & corda, quæ incendis, quadam impudicitiæ ſpecie te inſimulant. Indumentorum tuorum pompa, & omnis hæc adeo exquiſita ornamentorum ſuppellex eo tendit dumtaxat, ut homines perdat, & eorum cupiditatem irritet. *Ex libro cui titulus: Tractatus de conſcientia*.

Mundani ornatus Chriſtiano viro ſunt minus digni.

Loquens Tertullianus de inepto hoc mulierum cultu, de immodeſtis ornatibus, deque hiſce placendi affectionibus, per quas aliorum cordibus virus conantur adſpergere, ait hoc eſſe chriſtiano nomine indignum: etenim nonne inſolens eſt, inquit ille, quod chriſtianæ mulieres eo uſque luxum, & faſtum audeant producere, quo ethnicæ nollent, quæ non ſolum infamibus hiſce ritibus non conformarent, verum etiam illos odiſſent, atque execrarentur? Scitote, inquit ille, has ſeveriſſime luxum veſtrum eſſe accuſaturas; atque hac de cauſa vos in reproborum numero eſſe adſcribendas. Et ſane, nonne turpe eſt, vos illa audere, quæ ethnicæ non audent mulieres, quamvis juſtitiæ viam ingredi teneamini? Iniquius agitis, quam illæ, quæ idololatriam profitentur, voſmet tanquam idola aliis colenda proponentes. Quid! in chriſtiana religione vobis id fas eſſe ducitis, quod Areopagi fœminæ ſibi nunquam licere cenſuiſſent? Quid in templo oſtentare audetis illecebras illis nocentiores, quæ exhibentur in theatris ſpectatoribus ſolatium allaturæ? *P. Bourdaloue in ſermone de falſa conſcientia*.

Mulieres nimia arte exornatæ contemptum potius, quam exiſtimationem mortalium ſibi cõciliant.

Cujuſnam exiſtimationem mundanæ mulieres hac arte, & his phaleris vanitatis, quam illis ſuadet ſuperbia, conciliare ſibi poſſe arbitrantur? Nunquid piorum hominum? Hi horrent, & execrantur illas, quippe vident ab illis lædi Jeſum Chriſtum, & religionem ejus everti. Num eorum, qui ingenio pollent? Hi illas indignantur, quippe vident eas vanis artibus animos, & corda ipſorum velle corrumpere. Nunquid tandem hominum flagitioſorum? Horum exiſtimatio profecto fugienda magis eſt, quam inquirenda. Si enim ſcirent, quo pacto iſti de illis loquantur, & quomodo eas in ludibrium traducant, næ illas quidem tantum puderet, quantum ſuperbiunt. *Ex S. Chryſoſtomo in primam ad Corinthios*.

Palam proditis, o mundanæ mulieres, hoc vanitatis apparatu; neque ipſi Dei viventis parcitis templo cujus ſanctitas luxu veſtro temeranda non eſt: neque enim templum ædificatum eſt, ut ibi vanitatem veſtram oſtentetis; illuc divites quidem accedere oportet, ſed gratia, & virtutibus, non autem auro, lapilliſque pretioſis. Attamen vos illuc acceſſuræ voſmet comitis, & exornatis perinde, ac ad choreas pergeretis; vel quaſi in theatrum, ac in ſcenam aliquas comœdiæ partes acturæ conſcenderitis, ſumma adlaboratis ope, ut omnia in vos intuentium oculos attrahant, vel potius eorum vos irriſionibus, atque ludibriis objiciant. Cum ſanctus ille cœtus dilabitur, & quilibet donum ſuam revertuntur, de vanitate ac ſtultitia veſtra ſermonem habent: obliviſcuntur præcepta, quæ ex S. Paulo, & Prophetis recitata ſunt; neque de re alia, niſi de veſtium veſtrarum pretio, & elegantia, deque lapillorum veſtrorum nitore loquuntur. *Idem S. Chryſoſtomus*.

De mulierum vanitate in ſuis. ornatibus

Dicite, quæſo, o mulieres, S. Chryſoſtomus interrogat, quam ex tanti pretii lapillis, & ex adeo magnificis indumentis, poteſtis percipere utilitatem? Dicitis, in illis animum veſtrum conquieſcere, atque ex hac magnificentia affici voluptate. Sed heu! ex vobis quæro, quam ex vanitatibus veſtris haurire poteritis utilitatem, & ea tantum mihi recitatis mala, quæ inde fluunt. Nihil magis deplorabile eſt, quam ſibimet in inanibus hujuſmodi ornatibus placere, quam illis oblectaris, eiſque adhærere; quæ ſervitus adeo turpis, ac ſordida ſordidior fit, cum inde voluptas percipitur. Quomodonam mulier chriſtiana poterit, ut debet, ſolidæ pietatis exercitiis vacare, ſæculi ſtultitias contemnere, cum in ſe ſe ornanda afficitur voluptate? Hæc profecto omnia pietatis opera ita faſtidiet, ut ne eorum nomen quidem ferre poterit. At enim fortaſſe reſpondebitis, vos in admirationem rapere, quicumque vos ſpectant. At nonne hoc aliud eſt malum, quod videlicet magnifici ornatus veſtri veſtram alant ſuperbiam? *Idem S. Chryſoſtomus*.

Malum quod mulieribus adfert immoderata hæc ornatuum cura.

Nonne graviſſimum malum eſt vanis, & inquietis hujuſmodi curis abditam eſſe; animæ ſuæ pulchritudinem, ſalutiſque ſuæ amorem negligere; ſuperbia, vanita-

nitate, & inſania intumeſcere; ſæculi amore quodammodo inebriari, ultro abjicere ſanctas alas, quæ vos attollunt ad Deum, quin animæ veſtræ dignitatem proſtituere, eamque rebus abjectiſſimis, indigniſſimiſque ſubjicere vereamini? *Ex eodem.*

At enim fortaſſe reſpondebis: ſtatim ac in compita, plateaſque, vel cœtus prodeo, omnium in me ora oculique vertuntur. Hac immo de cauſa ornatus iſti abjiciendi eſſent, ne ita mortalium omnium oculis, atque obtrectationi pateres. Nemo eorum, qui te intuentur, te uti putas, approbat, omnes tibi irrident, de te obloquuntur tanquam de muliere vana, & ambitioſa, quæ videri cupit, & quæ amori, & vanitati ſæculi penitus eſt mancipata. *Idem.*

Gravius malum eſt cum his ornatibus in templum venire.

Si ſemper malum eſt ſeſe tanta cura, & arte exornare, longe gravius eſt malum, cum ita exornata mulier templum ingreditur, atque hoc in ſtatu inter tot pauperum turbam pertranſit. Si tibi mens eſſet in te ipſam mortales omnes ciendi, non poſſes profecto aptius invenire conſilium, quam hoc pacto crudeli luxus tui voluptati ea ſacrificare, quæ a Deo recepiſti. Cogita hanc pauperum turbam, per quos grad eris. Illos fame laborantes tua irritat, & devorat magnificentia; eorumque nuditas ultionem expetit contra hos ſuperbos ornatus, & diabolicum apparatum. Nonne ſatius eſſet panem non habentibus miniſtrare, quam aurem perfodere, ex qua pendeat eſca pauperum, & quam plurimorum miſerorum vita? *Idem.*

De mulieribus fucatis.

Non metuis, oro, quæ talis es, ne cum reſurrectionis dies venerit, artifex tuus ſe non recognoſcat, ad ſua præmia, & promiſſa venientem removeat, & excludat, increpans rigore cenſoris, & judicis dicat: Opus hoc meum non eſt, nec imago noſtra eſt. Cutem falſo medicamine polluiſti, crinem adultero colore mutaſti, expugnata eſt mendacio facies, figura corrupta eſt, vultus alienus eſt. Deum videre non poteris, quando oculi tui non ſunt, quos Deus fecit, ſed quos diabolus infert. Illum tu ſectata es; titulos, atque depictos ſerpentis oculos immitata es, de inimico tuo compta, cum illo pariter & arſura. *S. Cyprianus, de habitu Virginum.*

Pœna quam ſumet Deus de iis, quæ ſe curioſius ornans.

Iſaias Propheta poſtquam narravit luxum, atque ornatus filiarum Sion: audite, inquit, quid cogitet Deus de mundanis his filiabus, quomodo in illas animadvertet. Poſtquam juſtitia ejus omnem hanc illis exteriorem magnificentiam abſtulerit, fictitii earum crines projicientur in ignes, qui vero proprii illarum erunt, radicitus uſque evellentur. Uniones, lapilli, reliquuſque muliebris mundus eripietur illis; & pro unguentis, quæ tantopere deperibant, circum illas ederit horribilis fætor, a quo nunquam poterunt liberari. Ita Propheta mundanas haſce filias deſcribit, quæ luxum ſuum cohibere, ac præ metu, ac terrore contremiſcere deberent judicium adeo ſaverum, atque terribile præſtolantes. Hæc non eſt amplificatio ad arbitrium concinnata, ſed veritas eſt de qua dubitare non licet. *Ex libro, cui titulus, Inſtitutio Puellarum.*

Nonne verum eſt (mundanæ puellæ) ideo matutinas horas a vobis inter calamiſtros traduci, ut majori cum venuſtate in cætus prodeatis, ibique gratiores habeamini; attamen ecce quid accidit vobis. Deus ſibi factum hoc diſplicere profitetur, atque cum indignatione a vobis detorquens oculos hominibus quoque præcipit, ut avertant ſuos, explicite prohibens ne vos hoc in ſtatu reſpiciant. Hinc infero, quotieſcumque laborem, curamque veſtram impenditis, ut voſmet exornetis hoc mente, ut videamini, idem eſſe, ac ſi diceretis, prohibet Deus, ne me homines videant; ego autem e contra efficiam, ut illi me cum voluptate intueantur. Hoc veſtrum primum ſcelus eſt, reliqua vero, quibus eſtis obnoxiæ, dinumerare quis poterit? *Idem.*

De mulieribus, quæ calamiſtratæ veniunt in Templum.

Væ vobis mulieres, virgineſque inſipientes, quæ Dei domum tamquam in ſolatii, & voluptuarii cætus locum ingredimini, Deus inquit per Prophetam Amos cap. 6. Templum locus eſt ita terribilis, ut Spiritus ſanctus Levit. 26. jubeat, fideles omnes ad ſanctuarium accedentes tremere: vos autem illuc acceditis ridentes, lætantes, oculos circumquaque ferentes ſexcentis ornatibus ad omnem venuſtatem compoſitæ? Credite mihi, ne progrediamini: ſed domum redeuntes contrito corde, uti olim converſa, ac pœnitens Magdalena, omnem hunc inanem cultum abjicite, atque modeſtis induimini veſtibus; ab altero abhorrentes extremo, neque eas imitantes, quæ ſeſtis diebus ad ſacram Synaxim neglecta, incultaque veſte recipiendam ſe conferunt. *Idem.*

Veſtes, ut plurimum inſpirant ſenſus ſuæ qualitati conformes.

Quotidiana docemur experientia, veſtes virtutis, vitiique ſenſus inſpirare, eorumque etiam, ut ita loquar, notam, & vexillum eſſe. Simplex, ac modeſtum indumenti genus miram habet vim ad ciendam in corde modeſtiæ, atque humilitatis virtutem; religioſa tunica efficit, ut qui eadem indutus eſt, ſuæ meminerit profeſſionis. E contra vero magnifica, atque ſuperba veſtis neſcio quem ſuperbiæ, ac exiſtimationis noſtrummet ipſorum ſenſum inſpirat, ut pudeat nos dimittere ad ea, quæ nobis indigna videntur. Hos autem ſenſus veſtis non in illius tantum excitat animo, qui eam gerit, verum etiam illius, qui gerentem intuetur. Ita loquens Tertullianus de pallio, quod Chriſtiani ſuper reliquas veſtes ferebant, ait, illud ipſas cogitationes, & deſideria vitioſa in illis ſuffocaſſe, qui eos reſpiciebant: *Grande pallii beneficium eſt, ſub cujus recogitatu improbi mores erubeſcunt; vitia ex occurſu meo ſuffundo.* Pudebat homines vitioſos eſſe, ubi videbant pallium, quod gerentis ipſum virtutem, ac probitatem oſtendebat. Ita modeſta tunica in gerente æque, ac in vidente modeſtiam, & humilitatem producit; e contra vero vanitatem, atque licentiam inſpirat, cum illius, qui eadem induitur, mollitiem, atque immodeſtiam oſtendit. *Auctor Anonymus.*

Quid ſignificent veſtiũ luxus, & pōpa.

Pompas, & luxus veſtium (Tertullianus ait) proſtitutionem, aut vanitatem redolent, quarum utraque ſcelus eſt religioni contrarium; & chriſtianæ mulieres, quæ æque humiles eſſe debent, & caſtæ, contemnere debent ornamenta, quæ duabus hiſce virtutibus adverſantur. Conditionum diſcrimen ars eſt ab amore proprio adinventa ad ea probanda, quæ extra ordinem fiunt. Prima qualitas noſtra peccatorum eſt; peccatores ſumus, antequam principes: Adæ peccatum animam noſtram fœdaverat, antequam purpura corpus noſtrum tegeretur; & omnes tituli, quos nobis largitur aſſentatio, illum peccatoris delere non poſſunt. Hic noſtram prævenit nativitatem, vitamque concomitatur, ita ut ab ipſis incunabulis uſque ad ſandapilam modeſtia noſter eſſe debeat cultus, & indumenta noſtra pœnitentiam potius redolere debeant, quam vanitatem. *P. Senault libro de homine crimino ſo, ſerm. 7. ubi oſtendit indumenta eſſe peccati ſigna.*

Mulierum, & virginum vanitas eas damnare poteſt.

Inſolens, atque temeraria ſecuritas, in qua virgines inter luxum, atque vanitatem vivunt, nota eſt, pene dixerim, certiſſima reprobationis earum. Et ſane mulier, & puella chriſtiana ſeſe ornare poſſunt nitidis, pretioſiſque pannis, prout recentes ſæculi ritus fuerunt, iiſque lacinias, & denticulata opera acu phrygio ex auro, argento, ſericoque depicta ſuperaddere? Eorumne videri poteſt caput pulveribus adſperſum, unguentis, aliiſque odoramentis delibutum, cincinnis, vittis, amentis, aliiſque decoratum ornamentis vanitatis, quibus in mundo ſe ipſas comere ſolent; & hoc in ſtatu ſperare poſſunt, ſe ſuæ ſaluti conſulere? Hoc illæ ſerio cogitare deberent. *Liber cui titulus: Puellarum inſtitutio.*

Inter tot præcepta evangelica judicium ferre; utrum mulier, vel puella pretioſis induta veſtibus, collo, humeriſque detectis, lacertis denudatis, & capite cincinnato cum omni vanitatis apparatu, tantaque operum denticulatorum, quibus undequaque per varios ambitus circumdata eſt, confuſione; ferte, inquam, judicium, utrum hæc mulier, aut virgo crucem ſuam gerat juxta Chriſti Jeſu præceptum, atque utrum gerat illam ea animi affectione, qua Jeſus Chriſtus ſuam geſſit? Utrum pænitentia in corde illius ſit, utrum animum habeat propter peccata ſua triſtitia, & contritione confectum; utrum magnificus hic apparatus opus ſit humilitatis, & mortificationis, necnon perfecta ſui ipſius abnegatio? Si dicitis, nihil tale in ipſa inveniri, quod verum eſt, dicitis ſimul illam chriſtianam non eſſe, & figuram dumtaxat, exterioremque ſpeciem chriſtianitatis habere; ideoque ſpem, quam illa de ſalute ſua concipit, meram eſſe illuſionem. *Idem?*

Veſtium luxus hodierna die omnes conditiones confundit.

Sæculi, moris humani, conſuetudinis, communiſque uſus corruptio tanta eſt, ut nullus ſit amplius ordo, modus nullus, nulla diſtinctio. Quilibet multum ſibi arrogat; infimi ſummos imitari volunt, & quod reginæ erat ornamentum, per corruptionem, & vanitatem factus eſt communis, vulgatiſque cultus earum omnium, quæ in urbe immorantur. Fruſtra vehementi hujus torrentis furori præcipuorum eccleſiæ Patrum doctrinam, evangelii præcepta, atque inſtituta, perſonarum omnium, quæ ſanctitatem profeſſæ ſunt, exemplum objicis; hac in re ſexus nunquam ſuum errorem abjiciet. Corruptio nimis percrebuit, facta eſt generalis, & nequicquam ſemper contra torrentem hunc reluctaris. *Idem.*

Veſtes quoque, ut corpora, ſuam habent caſtitatem S. Cyprianus ait; neque ſatis eſt carnis puritatem habe-

habere, niſi ſimul & veſtimentorum habeatur. Chriſtiana virtus utramque exigit, ut virgo vere caſta ſit coram Deo. Non ſatis eſt mulieri cor purum habere; opus eſt etiam, ut puritas hæc in indumentis quoque eluceſcat, & ut ex modeſtia ipſius de ejuſdem innocentia ferri poſſit judicium. Virtus, quæ corpus noſtrum honore aliquo dignum efficiat, pudicitia eſt; luxus hoc illi pretium aufert, & vana ornamenta informe reddunt virginis chriſtianæ corpus. Caſtitas, Tertullianus ait, non quærit ornatus, ut perfectum habeat decorem; ipſa ſuus decor eſt, qui nunquam magis Deo placet, quam cum improbis diſpliceat. *Idem.*

Veſtium luxus Chriſtianæ mortificationi oppoſitus.

Nos monet Apoſtolus, eos omnes, qui Jeſu Chriſti eſſe volunt, atque amicitiæ ejuſdem honorem appetunt, debere carnem, & omnia deſideria ſua crucifigere. Et ſane reus capite damnatus non exornatur. Hoc tamen faciunt ſingulis diebus pleræque mulieres, & virgines; ornant enim corpus morte damnatum; quippe corpus eſt peccati, ut loquitur S. Paulus. Seſe pretioſis decorant ornamentis, quamvis teneantur cruci adhærere; quæ obligatio a baptiſmate ad mortem uſque illas manet. Nulla eſt ætatis, adoleſcentiæ, ſexus, conditionis diſpenſatio: ita poſt Scripturas loquitur S. Auguſtinus.

Inanis excuſatio conſuetudinis, & uſus.

At enim proculdubio mundanæ mulieres reſpondebitis, ubi voſmet exornatis, & comitis, nil mali cogitare; nullum vobis eſſe pravum conſilium, aut deſiderium: vos communem eorum ſequi conſuetudinem, qui vivere norunt, & mundum vident; recentes indumentorum modos a vobis non invehi; optare quidem aliter fieri, ſed, niſi inter clauſtra confugiendum ſit, ita eſſe vivendum, quoniam eſtis in mundo. Primum autem utrum aliquid cogitetis mali, admodum dubito, vos nil tale cogitare putatis; ſed fortaſſe videt Deus, vos cogitare, & certiſſime pleræque ita cogitant. Deinde vos admonet S. Paulus, ne aliarum imitemini exempla. Nolite conformari, ait, huic ſæculo, & uſibus ejus; S. Joannes teſtatur, ſi huic ſæculo adhæſeritis; vos Dei amicos nunquam futuros. Biblia univerſa referta ſunt ſenſibus odii, quo Deus mundum inſectatur, hoc eſt, ut explicat S. Auguſtinus, mundi amatores, qui ſecundum ſæculi corrupti conſuetudinem vivunt. O quanta calamitas eſt, eſſe hujus mundi! quandoquidem contra hunc jam prolata eſt æterna damnatio. Hoc ſatis, ſuperque eſſe debet, ut inde omnes chriſtianæ virgines corripiant fugam, non quidem, ut inter aſceterii parietes ſeſe concludant; non enim hoc petit Apoſtolus; ſed ut in mundo vivant, quaſi ibi non ſint, omnes illius perverſe ritus, mores, agendi modos, & omnia genera vanitatum; quod quidem non ſolum conſilium eſt, ſed præceptuum, & abſoluta neceſſitas. *Idem.*

Qualitatis, & conditionis prætextus.

Cauſantur quidam ſe nobiles eſſe, & conditionis ſuæ intereſſe hoc pacto indui: ſibi divitias divinitus conceſſas fuiſſe, neque a quopiam ſibi vitio verti poſſe, ſi ſuis bonis utantur, quin cuiquam faciant injuriam; verum enim vero in hoc etiam eos falli docet S. Cyprianus. Plurimi immodicis, ac ſuperfluis veſtium, ac magnificæ ſupellectilis ſumptibus ſpecioſe ſuam prætexunt conditionem. Conditio tua eſt, te eſſe Chriſtianum. Quot mortales ſeſe hodierna die jactitant? qui ſibi arrogant nobilitatem, quam plus æquo commendant, & qui ex ea egreſſi conditione, in qua Deus illos oriri voluit, ut aliam ſibi, ſublimioremque concinnent, qualem ipſorum illis vanitas inſpirat? Quot humili nati loco, ac mediocri uſi fortuna, cupiditatis acti ſpiritu inſanos ſumptus erogant, & in luxu, atque ſuperfluitate vitam traducunt? evangelii regula, religionis noſtræ ſpiritus in hoc poſitus eſt, ut rationabiliter utantur eo, quod juſtum eſt, uti decet eum ſtatum, ad quem nos evocavit, non illum, quem ipſi nobis comparavimus, ſemper citra mollitiem, luxum, & vanitatem. *Idem.*

Divitiarum prætextus.

Si divites ſe dicunt, hac ratione coram Deo ſe ipſos probare non poſſunt: vehementer quippe fallitur, qui neſcit, Deum, qui large hæc nobis bona donavit, eorum etiam nobis uſum perſcripſiſſe; illis utendum eſt juxta Dei voluntatem; utendum eſt, S. Auguſtinus ait, utentis modeſtia, non fruentis cupiditate. Hoc autem, ait ille per Apoſtolum ſuum 1. ad Tim. 2. mulieribus præcipio; cupio illas modeſtis ornatibus uti, atque earum indumenta nihil niſi honeſtatem, atque pudicitiam redolere. Obiter animadvertite; qui dicit, hic mos eſt hoc pacto ſeſe ornandi, non ſatis ſcire, morem chriſtianorum eſſe modeſtiam, de qua Apoſtolus loquitur; hunc nunquam mutatum fuiſſe, neque mutatum iri unquam. *Idem.*

Apoſtoli jubet mulieres modeſtis veſtibus atque ornatibus uti.

Mulieres, S. Paulus ait, non gerant criſpatos calamiſtro capillos, non aureos ornatus, non uniones, magnificaſque tunicas, ſed ita induantur, ut decet mulieres, quæ pietatem profitentur, & quæ eam actionibus, operibuſque ſuis debent præ ſe ferre. Hæc S. Paulus, S. Petrus vero 1. Epiſt. cap. 3. Mulieres pudibundæ ſint, atque modeſtæ; earum ornamenta non illa quidem ſint, quæ externa ſunt in capillorum cincinnis, vel aureis indumentis, aut veſtium pretio, & nitore poſita, ſed interna, animæ videlicet, quæ poſita ſunt in inviſibili, atque interiori pulchritudine in corde latente, & in puritate ſpiritus ſuavis & mitis, quod quidem in oculis Dei locuples eſt, magnificumque ornamentum. Has regulas magni illi Apoſtolorum Principes innuptis, nuptiſque etiam tradidere, quæ ut plurimum cauſantur, quod viris ſuis morem gerere debent. Potiori vero jure virgo, quæ nulli adhuc placere tenetur, ſervare debet modeſtiam hanc, quam Sancti Petrus, & Paulus in epiſtolis ſuis docuere. *Idem.*

Ornamenta nimis exquiſita culpa nō vacant.

Si te adeo exquiſita ratione, tantaque arte comis, ut oculi, & effectus eorum qui te intuentur, graviſſimas tentationes patiantur, hoc in caſu, S. Cyprianus ait, coram Deo culpa non vacas ac ſcias, poſtquam aliorum puritatem labefactaveris, in te illum eſſe animadverſurum, perinde ac & tua fuiſſet labefactata. Indumentorum nitor, idem pergit S. Cyprianus, ut plurimum eſt color impudicitiæ; & docet experientia, eas, quæ mundanis oblectantur phaleris modeſtia, & pudicitia carere. Hoc ita verum eſt quod Scriptura tanquam impudicitiæ plurimarum mulierum, quarum deplorata fama, & ſalus eſt, cauſam adfert veſtium pompam, mundum muliebrem, oris habitum ſolutiorem, qui adeo familiari eſt ſexui fœmineo, ubi Dei, hominumque metu minime coerceatur. *Ibidem.*

De fuco, quē faciei ſuæ allinunt, mulieres.

Evita pigmenta, quæ faciem illinunt, quæ crines inficiunt, & quæ funeſtam eam pariunt metamorphoſin, per quam creaturam divinis effictam manibus in honoris idolum convertunt. Ferendum non eſt, ea lineamenta, quæ ad imaginem ſuam Deus efformavit, deleri; alioquin te ille non agnoſcet ultra terribilis judicii die, cum opus ſuum deformatum inveniet. Cujus eſt hæc imago? inquiet ille! Cujus eſt? ego quidem illam neſcio, ac prorſus execror. O funeſtum exitum! O calamitoſiſſimam reprobationem, quæ non ſatis intelligitur! *Idem.*

De mundanis ornatibus, quos in templum quoque mulieres deferunt.

Dic mihi, quæſo, quid ſentis de mulieribus illis, quæ magnificis indutæ veſtibus, erecto capite, ſuperbo inceſſu, caudatis tunicis, quas trahunt, vel quæ majori cum pompa a famulis deferuntur, non ſine faſtus, ſuperbiæ, & vanitatis ſpiritu veniunt in templum, ut immodeſtiam ſuam potius, quam pietatem oſtendant; quæ eo ſe conferunt, ut videant, & videantur: ut magnificentiam veſtimentorum audacter, & ſine ullo metu ad altarium gradus oſtentent, donec ibi celebrantur myſteria ipſis etiam Angelis, qui coram Dei ibi præſentis majeſtate contremiſcunt, terribilia; licet explicite Concilia interdixerint? Attamen in hac loci tanta ſanctitate, & amplitudine mulieres, virgineſque mundanæ ornatuum ſuorum in luce coruſcare videntur, & quandoque etiam popliti ſuppoſitis pulvinaribus imprudenter inſultare paupertati JESU CHRISTI, ejuſque exprobrare humilitatem: idque cum ingenti fidelium ſcandalo, & cum chriſtian religionis dedecore.

Cur tot labores, & ſumptus, ut ornamenta vobis comparetis? Qua mente, quo conſilio id agitis? Dicere non auderetis, ut vobiſmet placeatis; hæc enim ſuperbia eſt, quæ vos coram hominibus in ludibrium traduceret, ac Dei ipſius vobis indignationem conflaret. Si, ut pleræque, dicitis, veſtrum hoc ſtudium, ingeniumque non eſſe, ſed conſuetudinem ſequendam eſſe: alias id facere, quod ipſæ facitis; & id vos quoque facere velle, ne ſingularitatis nota inuramini; cum Tertulliano reſpondeo, JESUM CHRISTUM dixiſſe non conſuetudinem, ſed veritatem nulli eſſe obnoxiam immutationi... Quamobrem S. Cyprianus inquit, conſuetudinem proprie loquendo non aliud eſſe quam antiquum errorem; & S. Chryſoſtomus ait, illam veram eſſe corruptionem, quæ noſtræ favet cupiditati, & quam cauſamur, ut affectibus, & cordis noſtri cupiditatibus obſequamur. Hoc S. Gregorius terribile malum appellat, quod efficit, ut vitium pro virtute temporis hujus propria habeatur, & quo utuntur peccatores tanquam invicto argumento, ut ſua ſcelera probent. *Idem.*

Sancti omnes veſtium luxũ damnarunt.

Præter ea, quæ ex duobus Apoſtolorum Principibus ſuperius allata ſunt Petro, & Paulo, Prophetæ diffluunt minis contra nimium ornatas mulieres, & nunquam alias quam contra hoc vitium, Sancti Patres uberius eloquentes fuere. Si fides noſtra æque viva in terris eſſet, ac magna merces eſt, quam expectamus

mos in cœlo, nemo veſtrum, o mulieres, ex quo Deum viventem, & pœnitentem conditionem agnoviſtis, ſeſe inanibus ornamentis inſtruere voluiſſet. Immo rudibus, pannoſis, neglectiſque veſtibus operiri maluiſſetis, ut exhiberetis in vobis Evam plorantem, ac pœnitentem, utque melius hoc pœnitentiæ integumento malum expiaretis, quod ex primæ mulieris lapſu percepiſtis; videlicet primi criminis ignominiam, & turpe facinus, quo mortalium omnium excidium peractum eſt. Scelus idem, quod vos morte dignas præſtitit, filii Dei mortem peperit. Vos autem ſuperbas gerere vultis tunicas, ſcientes primam matrem veſtram poſt crimen, cui obnoxiæ in lucem prodiiſtis, pelliceis tantummodo uſam fuiſſe integumentis. *Specimen ſermonum pro 1. Dominica poſt Epiphan.*

Fruſtra mundana mulier exquiſitis ornatibus placere ſtudet.

Cuinam quæſo, Auditores, placere ſtudet mulier, quæ tanta adfectatione ſe comit, & quæ in vias, cœtuſque omnes prodit, tanquam in ſcenam actricis partes luſura? Nunquid ſcitis, cordatiſque viris ſe placere poſſe arbitratur? Fallitur vehementer; ſciunt enim virginis, vel nuptæ exiſtimationem præſertim ab illius verecundia, & modeſtia pendere; ſtupent, quod mundana mulier temere ſuam exiſtimationem in diſcrimen adducat, cum illam conatur acquirere, & multo magis illius imprudentiam, quam pulchritudinem admirantur. Nunquid protervis hominibus placere geſtit? quamvis hoc illi cederet è ſententia, nonne rubore ſuffundi deberet, eo quod ab iis celebraretur, quos omnes perhorreſcunt, & quorum laudes vera ſunt probra? verum apud hos nequaquam magis proſpere, quam apud alios res e voto illi contingit. Procaces homines primi omnium illam in ludibrium vertunt, atque obtrectationi fræna laxantes aculeatis irriſionibus nomen ejus proſcindunt; quorum dicteria, ſi ad illius aures pervenirent, erubeſceret illa quidem fanda, infandaque audiens omnia, dum laudibus ſe celebratum iri putaret... Ergo piiſne viris placere quærit? Immo indignatione in illam flagrant, eamque odiſſe, & execrari tenentur propter ea facta, quæ ratio improbat, pietas deteſtatur, Chriſtianiſmus horret, & quæ ipſa etiam morum protervia traducit. E contra vero ſi chriſtianam alit modeſtiam ſecundum conditionem ſuam, cordati, devoti homines, immo etiam, qui æquo ſolutiores ſunt, eam in pretio, & honore habendam eſſe cenſebant. *Ibidem.*

In quo ſita ſit hæc immodeſtia adeo vituperabilis in mulieribus.

Nemo quærat ex me, quonam in re ſita ſit hæc immodeſtia adeo indigna muliere, & muliere chriſtiana. Vos id melius, quam omnes ſimul concionatores, tenetis: alii contra veſtium luxum declamant, alii zelo ſucenſi contra morem invehuntur, qui efficit, ut præter veſtium magnificentiam aliquid adſit præterea, quod vel nimis ſæculi licentiam foveat. Utrique jure; verum non ideo minus illæ prætexunt ſuæ conditionis officia, & conſuetudinem, quam plurimi honeſti viri ſequuntur. Tandem quantumvis magnum ſit hoc malum, non ideo tamen eſt maximum: omnes virus poſitum eſt in neſcio quo oris habitu, arte, elegantia, venuſtate, quam illæ ſatis norunt, & cui potiſſimum ſtudent. Ita illæ & ſe ipſas, & alios damnant; cui malo neque conſuetudinem, neque dignitatem ſuam prætexere poſſunt; & hæc infelix illa eſt ars, qua in manifeſtum damnationis æternæ periculum adducuntur. *Ibidem.*

De mundítia, & modeſtis ornatibus.

Equidem ſcio corporis munditiem argumentum eſſe puritatis animæ; & primi fideles feſtis diebus conſueverant modeſto ornatu peculiarem cordis ſui venerationem oſtendere. Ita in veteri lege conſueverat Sanctus Patriarcha Jacob, qui jamjam Domino ſacra facturus præcepit, ut ſinguli ex familia ſua veſtes mutarent, ac nitidioribus induerentur: *Mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra.* Gen. 35. Sed quantum modeſtus ornatus noſtrum erga Deum obſequium, atque venerationem ſignificat, tantum luxus, atque exterior vanitas denotat interiorem ſuperbiam, quæ religionem, ac pietatem prorſus evertit. Eſto quidem, chriſtianæ ſeſe ornent mulieres, ſed tanquam victimas, quæ ad aras accedunt Domino ſacrificandæ, ut palam teſtentur, ſe illi, quidquid pretioſiſſimum habent, velle immolare: ſeſe ornent veluti altaria, quæ reverentiam tantum, & pietatem inſpirant; ita ut ſolo oris habitu impietatem, ac flagitioſorum hominum irreligionem confundant. *Ibidem.*

Amor, quo mulieres iua depereũt ornamenta.

Cum ſæpe accidat: ut, quæ minima ſunt, majori ſtudio conſectemur, docet experientia, non deeſſe in mundo mulieres, quæ æquiori animo ferrent conſcientiam ſuam, quam indumenta commaculari; quæ rempublicam potius, quam calanticam ſuam mallent perturbari, & quibus minus faceſſeret negotium macula exiſtimationi, quam tunicæ affuſa. Vide, quomodo meliorem diei partem inſumant ſeſe comentes, pro viribus oris maculas tegentes, ut in cœtibus niteant, & ne ulli diſpliceant; quomodo omnes ornatus, omnemque muliebrem mundum adhibeant, ut corpus ſuum venuſtius, & gratioſius efficiant, atque aliorum oculos in ſe convertant, & fallant. Amor proprius novas menti ſuggerit artes, ut quod minus ſpecioſum eſt, contegant, atque illis majorem addant nitorem, quæ efficere poſſunt, ut majori habeantur in pretio. *Auctor Anonymus.*

Per veſtium luxum chriſtianæ fidei quodammodo abrenunciatur.

Pomparum mundi abrenunciatio Sanctis Patribus ita neceſſaria viſa eſt, ut Tertullianus Chriſtianiſmi ſpiritum, & Chriſtiani hominis profeſſionem duplici verbo complecti cupiens, *habitum renunciativum* appellet, alludens tunicæ, qua indutus fuit, cum chriſtianæ militiæ nomen dedit. Attendite pauliſper quæſo, o mulieres: veſtis, quam geritis, eſt ne habitus pomparum mundi renunciativus? An potius eſt habitus renunciativus evangelii; Si in baptiſmo pollicitæ fuiſſetis vos mundo adhæſuras, atque JESU CHRISTO abrenunciaturas eſſe, poſſetiſne melius præſtare fidem? meliuſne mundo placere poſſetis? Hunc a vobis amari vanitates, ornatuſque illius vobis acceptiſſimos eſſe, meliuſne poſſetis oſtendere? O maximum religionis ſcandalum! Poſt hæc vos eſſe Chriſtianas, vos mundo abrenunciaſſe gloriamini? *Joly Tomo* 1. *propoſitionum.*

Difficile eſt ornatus cum virtute conſociare.

Arduum eſt cogitare, eam, quæ tanta ſeſe comit induſtria, ornatuum amorem cum amore virtutis conjungere poſſe: placendi deſiderium, & deſiderium ſeſe ſanctificandi ſimul conſociari nequaquam poſſe videntur illis, qui aliquam habent chriſtianæ ſanctitatis ideam. Debere fragilem tutari innocentiam, atque difficiles virtutes acquirere, ſimulque omnem conatum exerere, ut in ſe aliorum oculi convertantur iis ornamentis, quæ ad voluptatem ciendam aptiſſima ſunt; inter hæc duo manifeſta patet oppoſitio; eaque ſimul velle conjungere, hoc eſſet illudere evangelio, vel Chriſtiano, qui ſcit, quid eſt evangelium. Quo zelus longius nimis provehatur, ac veritas exaggeretur, aſſerere poſſumus omnino impoſſibile eſſe, eam, quam decet, animæ ſuæ curam gerere, ſi tantum temporis, atque induſtriæ in exteriorem cultum impenditur. Mollis hæc vanitas neceſſario omnem extinguit ardorem, quo ferri poſſumus ad progreſſum aliquem in Dei vita efficiendum: hæc animam diſtrahit, occupat, inquietam, moroſamque facit, in nugis detinet, omnemque illi boni guſtum, & ſenſum aufert. *Liber, cui titulus: Animadverſiones in varia religionis, Ethicaque argumenta.*

Si huic vera eſt virtutis idea, quomodo fieri poteſt, ut adeo levem habeat ideam humilitatis? ut conſcientiam ſuam cum ea reconciliet, quæ palam adverſatur evangelio? ut tanto amore depereat ornatus, ac pompam, quæ mentem occupat, pietatem exſiccat, mollitiem alit, & gratiam amovet, & extinguit? Minus adhuc fieri poteſt, quod oculus, & judicia reformidet eorum, qui fortaſſe Deum non timent, & graviſſimis fortaſſe vitiis ſcatent; quod eorum pertimeſcat cenſuram, iiſque nolit diſplicere. Virtus nequaquam permitteret, ut ſcandalum illis præberet, qui religionis præceptis imbuti nugas contemnere didicerunt; ut ſuam in diſcrimen ſalutem daret, immorans in periculo nunquam cœleſtia guſtandi: etenim quaſnam ſalubres alere poteſt cogitationes ſub horum ornamentorum integumento? Si hæc ſerio, & chriſtiane cogitaret, prima etiam cogitatio efficeret, ut ſuum luxum damnaret, atque abrenunciaret inanibus hiſce ornamentis, quæ modeſtiæ, & chriſtianæ humilitati ſunt prorſus oppoſita. *Idem.*

Quæ tanta ſe ornat cura, nullã habet ſalutis ſuæ curam.

Zelus damnare, atque in odium traducere luxum conatur; utitur argumentis, evangelicis principiis, propriæ etiam utilitatis rationibus, ut illius horrorem inſpiret. Hæc omnia inutilia ſunt, neque cum afficiunt, qui ſalutem ſuam negligit: licet nil ultra requireretur, ut ſincere interitum ſuum metuenti modeſtiæ cura injiceretur. Luxus illius ſatis eſſe poteſt ad probandum, non poſſe illum eas omnes agitare curas, quæ ad ſanctificationem ſuam ſunt neceſſariæ. Cum videntur nitidiſſimi hi cultus, magnifica ornamenta, exquiſita eorum, qui ſubinde vigent, rituum elegantia; totus hic apparatus adeo ſedulus, dives, ac pretioſus, qui longius excedit, quidquid propriam decet conditionem, ac ſtatum, inferri poteſt, quin veritati vis inferatur, fidelem hujuſmodi pompas depereuntem chriſtianas omnes virtutes nullo in diſcrimine habere. Hæc una eſt ex primis conſiderationibus, quæ ultro occurrunt animo ſapienti, & religioſo: luxus enim per ſe gerit imaginem vitii, quo omne ſanctitatis deſiderium extinguitur. *Idem.*

Veſtium luxus principiis chriſtianæ religionis oppoſitus eſt.

Chriſtianæ religionis principia nos docent, quid de ornatuum exceſſu, & immodeſtia ſentiendum ſit? Pater, illos Chriſtianiſmo dedecus afferre, Deumque lædere, ſi cum idololatriæ, ac vitii licentia conſentiunt, ſi ſcandalum afferunt, ſi conciliati nequeunt cum verecundia, quæ virtutis eſt propugnaculum; ſi mentem diſſipant, atque ad ſalutis contemptum, & oblivionem adducunt; ſi eos, a quibus geruntur, cum illis, a quibus mundus diligitur, miſcent, ſi legibus obſtant, quæ irrogatæ ſunt conſcientiæ, ut contra criminis illecebras ſe ipſam communiat. Chriſtianæ mulieres, quæ recentes indumentorum, ornatuumque ritus conſectari ſtudent, quin eos ad ſui baptiſmatis characterem, ac pietatis ſuæ referant officia, cogitantne ſe idolatris mulieribus ſimiles fieri? Quæ cura, ut in ſe ipſis hanc jugulent ingenitam religionem, ut ſuæ exiſtimationi, vanitatique conſulant? Non timent illæ caſtis oculis afferre ſcandalum; in ornatuum ſuorum ſtudio illam amittunt ſolitudinem, quæ ſexum ſuum maxime decet, & quam ſine graviſſimo animi cruciatu nequeunt violare: ſeſe probris objiciunt, quæ nunquam mereri vellent; ſi verum eſt, ipſas non eſſe, quales videntur, cur licere ſibi volunt, tales videri, quales non ſunt? *Idem.*

Luxus, & immodeſtia veſtrum impuritatem ſuadent.

Solus veſtium veſtrarum, mulieres, ſuperfluus ornatus lacrymas ex omnibus ſanctis viri elicuit, qui ejuſdem teſtes fuere; quid igitur nunc dicerent videntes, univerſum hunc apparatum non ſolum eum tendere, ut veſtram palpet vanitatem, atque ſuperbiam, ſed etiam ut faveat impudicitiæ, atque illis, qui vos intuentur, illicita deſideria, imputaſque cogitationes immittat? Nunquid tanta auri, argentique vis eſt inſumenda, ut corpus tegatur, & nihilominus ſeminudum relinquatur? Non miror, mundo hoc malum placere, quandoquidem illius auctor eſt; ſed intelligere nequeo, quinam viri boni ſileant, & hanc ſuſtineant abominationem, quin loquantur, & in queſtus erumpant, quaſi voce, & pietate carerent. Nonne diceres publicum latum fuiſſe interdictum, ne quis minus decentia hæc intuitus objecta ſcandali occaſionem arriperet? Non paucæ ex his mundanis mulieribus ajunt, ipſa ſe ſatis noſſe, ut nihil ab ejuſmodi nuditatibus ſibi metendum ſit: ſed illis reſpondere poſſumus, hanc ipſam, quam in virtute ſua habent, confidentiam magnam eſſe diſpoſitionem, ut quamprimum hoc virtutis excidant gradu. Quæ non metuit ſuæ integritatis jacturam, minus ſibi cavet, ne illam patiatur; quo minus cavet, eo majus ſubit periculum; & quo magis periculum negligit, minus par eſt, quæ inde evadat incolumis. Hæ igitur nuptiæ, innuptæque ſciant, ſi homines imbecilles ſunt, ipſas quoque tales eſſe: & eodem tempore, quo homines tentant, ſe ſe objicere, ut ab hominibus tententur. Ipſæ illos nuditatum ſuarum ſcandalis tentant; & periculum adeunt, ne ipſæ ab illis amatoriis nugis, officiiſque tententur. Ipſe illis noxium; & inhoneſtum perſtant amorem; illi vero amoris, quo flagrant, magnitudinem exprimunt. Ipſæ illos per oculos illexerunt, illi eas per aures illiciunt; eiſque eum, quem hauſerunt, amore reddunt. *Ex libro, cui titulus: De abuſu denudati pectoris.*

Heu! ſatis ſuperque verum eſt, mundum, ac dæmonem ſuos haberes martyres, & ſatis patet, mundanas haſce mulieres hoc ſubire martyrium propter cruciatus, & cruces, quas illis inferunt tot recentes ornatum ritus, quin theumata, morboſque vereantur, qui vulgari ſunt parum decentis nuditatis ipſarum effectus. Conſtanter temporum omnium rigorem perferunt, ut hanc percipiant voluptatem ab aliis videndi, & ſpe aliis placendi nutriantur. Nonne jure illis cum magno Angliæ Cancellario dicere poſſumus, quod Deus illis injuriam afferret, ſi illis infernum obrueret, quandoquidem tot laboribus torquentur, ut illum mereantur. Non ſine ſumma cum juſtitia, inſignis ille vir ſequitur, adeo funeſta merces tribuitur laboribus, qui adeo irrationabiles ſunt, & nefarii; ſed ſumma cum injuſtitia mulieres iſtæ ſe ipſas torqueunt, & excruciant, ut damnentur, cum ne minimum quid pati velint, ut ſaluti ſuæ conſulant. *Idem.*

De veſtium immodeſtia.

Si Dei timor finis eſt modeſtiæ, ut docet Scriptura; hoc eſt, ſi exterior modeſtia Dei timorem parit in anima, vel illum ibi tuetur, aut auget; fatendum eſt etiam veſtium immodeſtiam, & turpes has nuditates argumento eſſe. Deum ab his mulieribus non timeri, ab his ſalutis ſuæ jacturam negligi, vel non metui. Si enim modeſtia Dei timorem ſuadet, illum nobis aufert immodeſtia: ſi modeſtia diſpoſitio eſt ad vitam ritu chriſtiano ducendam, immodeſtia maximum ad id eſt impedimentum, nec videtur injuria ſententiæ ſuæ Tertullianus Scripturæ verba applicuiſſe, Dei filias eas vocans mulieres, quæ modeſtis veſtibus uterentur; filias autem hominum eas, quæ membra ſua detegere, facíemque fuco illinere adfectarent. *Idem.*

Veſtium immodeſtia in muliere duplex eſt crimen.

Si verum eſt, quod Scriptura dicit, mulierem modeſtis ornatam veſtibus, ac per pudorem ſanctitatis ſuæ præbentem argumenta, gratiam eſſe ſuper gratiam: *gratia ſuper gratiam mulier ſancta, & pudorata*; certiſſimum eſt, mulierem mundano exornatam ritu, & nud tatum ſuarum ſcandalo in dubium vocantem innocentiam ſuam, crimen eſſe ſuper crimen. Crimen quidem eſt, quia contra pudorem peccat, crimen vero crimini ſuperadditum, quia facit, ut alii peccent contra puritatem, & ſimulac ſe nocentem præbet, adnititur cum dæmone, ut alios nocentes faciat. *Idem.*

Maximum mulierum eſt ſeſe exornare.

Præcipuum muliebris ſexus negotium nonne eſt ſedula curioſitate omnes aliarum, quæ ſuperioris ſunt ordinis, ornamenta ſcrutari; omnibus, qui recens invehuntur, cultus ritibus capi; cupere, & perquirere, quidquid novitate aliqua commendatur; cumque ad exoptatum hunc ornatus gradum pervenerint, num ſe ſe illis comparant, quæ veluti exemplaria ſibi propoſuerunt? & nonne putant, eamdem externi cultus ſpeciem ſibi eamdem conciliare debere exiſtimationem?... Quod inſtitutum fuerat, ut ſecernerentur conditiones, nunc illas confundit: varium indumenti genus illa deberet diſtinguere; verus nitor a falſo ſeparari non poteſt, quippe omnia æque undique nitent. Urbs, & aula; qui in dignitate conſtituti ſunt, & qui privatam ducunt vitam, nihil differunt, & ſi quid ſupereſt adhuc in importuna hac immixtione, unde alii ab aliis, valeant dignoſci, hoc aliud profecto non eſt, quam intra modeſtiæ, & ſimplicitatis cancellos ſeſe continere. *Ex manuſcripto ſermone de luxi veſtimentorum.*

Apparatus ornatuum, & immodeſtia veſtium in fœminis.

Totum hunc mulierum ſtuporem ædificare noverunt. Tertullianus ait: ſuperbiam vocare univerſum hunc vanitatis apparatum eſt præparam explicare, energiticum patris hujus vocabulum: *Mulierum ſtuporem*, pertinaciam hanc, hoc phantaſiæ prodigium, hunc muliebrem mundum impeditiſſimum, qui mulierem in jugi ſtupore, ac perenni ſui ipſius admiratione tenet: *Totum mulierum ſtuporem ædificare noverunt.* Hoc illud eſt ædificium, quod aliorum negligentia, aliorum imbecillitas, prodigalitas, intemperantia, impunitas plurimorum quotidie ſuper multarum familiarum ruinis extollunt... Inverecundæ nuditates, pulchritudo nimis negligenter expoſita, indumenta pudori parum fidelia, velamina ejus levitatis, quæ ne minimæ quidem auræ reſiſtit, & ejus ſubtilitatis, & nullum obtutui obicem ſtatui: *Quibus veſtita corpora nudantur*, S. Hieronymus inquit. Novus hic lubricitatis apparatus fere ignotus flagitioſiſſimus ſæculis; hæ veſtes ita apertæ, ut ab aliis videatis, quin rubore ſuffundi tenearis, omnes hi laquei, quorum non nomina iſtic inquirenda ſunt, ſed ſcelera confitenda, cum gratia, & ſalute omnino eſſe non poſſunt. *Idem.*

Nil mali cogitas, inquis; heus tu cogitaſne aliis placere? Velle autem placere, nonne malorum omnium origo eſt? Velle placere non quidem ſexus ejuſdem perſonis, quippe earum potius in te conſtans invidiam, atque indignationem; ſed illis placere vellet, qui ſuapte ingenio proni ſunt, uti tibi complaceant, & quibus minus verecundiæ eſt minuſque pudoris... Quot inde exiſtunt mala, cum huic cupiditati moderari non ſtudes! At huic ne rei ſtudes, an ſtudebis, an ſtudere poteritis? Sciſne quouſque in alienis cordibus cupiditas iſta progrediatur? Notaſtine quouſque, non autem ultra, placere velis? Cum hoc periculo pertinaciter placere velle, nonne eſt affectio vel cordis parum caſti, vel cordis enormiſſimæ, nequiſſimæque vanitatis referti? O rem incredibilem! Quidquid abominationum, ac flagitiorum ad impuritatem ſpectantium terris accidit, inde fluit, quod homines nimis ultro citroque ſibi placent, & placere velle innocuam putas eſſe voluntatem? Neque reſpondeas, me mihi fingere phantaſmata, & nihil horum animo tuo volvi: ſincerius morti propior reſpondebis. Modo ſanctis omnibus reſponde: *Excuſari non potes, quaſi mente caſta ſis, & pudica: redarguit te cultus impudicus*, S. Cyprianus ait. *Idem.*

Fruſtra prætexitur conſuetudo.

Conſuetudinis cauſatis. Poſtquam Jeſu Chriſti lex omnes mundi leges abrogavit, profana mundi conſuetudo numquid profanam mundi conſuetudinem delevit? Statim ac mundus nunc aliquam invehit conſuetudinem, nemone teneri ſe putat eidem adverſari propter evangelii gloriam, & jura virtutis? Metus ab aliis irridendi ſatiſne valida ratio eſt, ut tuam excuſes ignaviam? Inane artificium imaginationis ſpiritu mundi corruptæ! Maximum, quod tibi accidere poſſit, malum in maxima cultus tui ſeveritate, hoc ſane eſt, quod earum adſcribaris numero, quas naturæ vitia modeſtas eſſe jubent, & quæ prudentiæ æque,

æque, ac pietatis hortatu ſe contegunt. Videſne has irrideri? Nonne illæ faciei ſuæ labem celantes ex modeſtia ſua honorem percipere norunt? Cur autem nequeas formam, venuſtatemque tuam contegens ex vera modeſtia ex ſanctæ religionis obſervantia, & ex mundi contemptu verum honorem capeſſere? *Idem*.

De eccleſiaſticis, qui ſuperbis utuntur veſtibus.

Præſertim vero ea indignatione ſuccenſus, quam jure domus Dei zelus excitare poteſt, loquor, quibus autem? Profanatoribus hiſce nominis, ſanctuarii, & hæreditatis Dei, qui altarium miniſterio conſecrati, ex altaris reditibus viventes, & ut verbo me expediam, bonis atque proventibus eccleſiæ perfruentes hæc in mollitiei, faſtus, ſuperbiæque materiam convertunt. Nunquid non auditis, hac in re S. Bernardus exclamat, templorum parietes illa S. Pauli verba recinentes: *Non in veſte pretioſa*. Apage hinc pretioſa indumenta. At enim mulieres alloquebatur Apoſtolus: cur non igitur Sacerdotes, non eos, qui eccleſiaſticis beneficiis locupletati ſunt; non eos, qui omnibus mundi pompis abrenunciarunt, ut in ſola JESU CHRISTI hæreditate conquieſcerent? Agape hinc magnificas veſtes, dicebat Apoſtolus, ubinam ergo veſtes delicatæ? ubinam mollis, & ignava mundities? ubi effeminatus corporis cultus? *Idem*.

Veſtes inobedientiæ, & rebellionis noſtræ ſigna.

Veſtium neceſſitas nota eſt rebellionis, atque inobedientiæ hominis: quantumcumque hic nihil inauſum, intentatumque relinquat, ut pœnam hanc in ornatum convertat, fateri tenetur, ſe corpus ſuum ad dolorem, pudoremque avertendum contegere . . . Si in eo permanſiſſet officio, quod debebat Deo, corpus illius nequaquam ſpiritui ipſius rebellaſſet, & niſi particularem hanc rebellionem altera generalis ſubſecuta fuiſſet, nulla res coegiſſet illum, ut quæreret, undenam ſe ipſum contra temporum inclementiam tutaretur. Videt ergo in veſtibus ſuis ſcelus ſuum; hæc manifeſta ſunt inobedientiæ ejus indicia; & ſi ratione uti vellet, quantum corpus ſuum tegit, tantum illud ipſum puniret. Attamen velle videmur divinæ obluctari juſtitiæ, judicia illius in ludibrium traducere ex ejus ſuppliciis vanitatis argumenta deſumere, atque in gloriam noſtram id, quod nobis probro eſſe deberet, convertere..... Adam nunquam magis erubuit, quam cum veſtibus ſe ſe contegere debuit. Coria, quæ gerebat, pœnitentis erant operimentum, & antequam vanitas artem illa exornandi excogitaſſet, hæc ex oculis lacrymas, & ex pectore ſuſpiria eliciebant. Nunquam induebatur, quominus innocentiæ deſiderio conficeretur; cumque frigore cogebatur conſuetis alia addere indumenta, cogitabat temporum perturbationem eſſe ſui peccati ſupplicium. *Ex P. Seneult in homine criminoſo*.

Intentiones ſeſe exornantium ut plurimum nefariæ ſunt.

Qui ſe ornant magis, quam induunt, & qui neceſſitati voluptatem adjiciunt, duplici tantum plerumque aguntur cauſa, quarum utraque injuſta eſt. Prima eſt ſibimet indulgendi, ac faciendi ſatis amori proprio corporum ſuorum cura, miſeriam quidem ſuam diſſimulando, ambitionem vero palpando. Altera cauſa eſt placendi illis, a quibus videntur, atque animas in laqueos ſuos pertrahendi. Altera hæc vulgatior eſt, atque periculoſior; vulgatior quidem, vanitas quippe theatrum poſcit, & amor proprius non ſecus, ac ambitio habere vult ſpectatores. Et profecto mulieres, ubi ſolæ fuerint, nunquam ſe exornant: ſolitudo luxus eſt inimica; atque ornatus abjicit, quæ prodire detrectat. Tædium, ac labor, quæ ferenda ſunt, ut ſe mulier calamiſtris comat, atque ornet, efficit, ut hac voluptate non afficiatur; ſuaque negligit ornamenta, cum nemo ſit, qui illa admiretur. *Id.*

Mundana ornamenta nūquā probata fuere.

Libenter doceri vellem, ubinam conſuetudo iſta probetur. In ſacra Scriptura haud profecto: etenim S. Petrus Apoſtolus explicite chriſtianis mulieribus aurum, & criſpatos calamiſtro crines interdicit. In SS. Patribus, ne ita quidem; nunquam enim acrius invehuntur, quam cum contra luxum, & veſtium pompam declamant. Indeſinenter vanitatem hanc inſectantur, & docent nos legibus charitatis teneri, ut hæc ſuperflua erogemus egenis indumenta, miſeris opem, & eccleſiæ præſidium præſtantes. Immo volunt veſtium ſimplicitatem ſignum eſſe pietatis, atque abrenunciationis mundi. His autem nil aliud reſpondent, niſi quod non decet ab aliorum cultu diſcrepare, & non ſine quadam ſingularitatis nota differre. Quid hoc? Nunquid torrentem ſequi oportet? Quia malum commune eſt, non ideo laborandum eſt, ut illinc evadamus? non audes emergere e turba eorum, qui in certum interitum abeunt? Immo e contra reor opus eſſe ab aliis diſcrepare, ſi tibi ſatis animi, viriumque eſt, ut id facias. Scire vellem, utrum in veſtibus, non ſecus ac in aliis quibuſcumque rebus modeſtia bona ſit, & laude digna? Si bona, illius exempla præbere, poteſtne malum eſſe? E contra nonne glorioſum eſt, primum in viam virtutis incedere, & hanc aliis aperire? *Auctor Anonymus*.

Sæculi hujus luxus ad exceſſum pervaſit.

Equidem ſcio ſemper veſtes pro conditionum diſcrimine varias fuiſſe. Primum tamen animadvertendum eſt hoc in ſæculo neminem eſſe, qui magnificentiam ultra ſuam provebat conditionem. Ad hæc, olim conditiones non ita accurate, ut hodierna die, diſtinguebantur: ſatis magnum, ac manifeſtum diſcrimen intereſſe oportebat, ut liceret alios ab aliis veſtium nitore diſtingui. Non ſatis erat eſſe locupletem, & eo genere natum, quod parum ſupra cæteros eniteſceret. Hodierna die ſi cuilibet permittitur indui, ac ſumptus facere ſecundum conditionem ſuam, ſuperbia, & vanitas, quæ diſtinguunt conditiones, compellent ad extrema quæque mortales. *Idem*.

Fruſtra dicitis; intentiones veſtras culpa vacare; hoc mihi perſuadere nullo modo poſſum. Sed licet vacarent, quomodonam ea, quæ earum effectus ſunt, vacare poſſent? Nullum enim virus eſt, quod citius ſe communicet, quam hæc damnanda mundanæ induſtriæ adinventa, ac totum regnum intra aliquot menſes hac ornatuum, ac periculoſarum novitatum corruptione inficitur, ubi nullus ſervatur modus, & corda, ut S. Jacobus c. 5. inquit; ſexcentis cogitationibus, impuriſque cupiditatibus aluntur: *In luxuriis enutriſtis corda*. Quot animas hac re perdidiſtis? Et ſane nequaquam ſenſu caremus, non lapidei, neque ænei ſumus. Malum de uno in alterum ſeſe effundit, perennat, ac brevi immedicabile fit, quia migrat in conſuetudinem. *P. Girouſt in Adventu ſuo, Tomo I. ſermone de conſuetudine*.

Mūdanæ mulieres ſemper ſunt in ſtatu peccati, deneq; immodeſtis ornatibus ſuis ſunt ſcādali cauſa.

Eſto quidem in cultu, ornatuque ſuo nullam habeant pravam intentionem mulieres, atque id unum inquirant, quomodo ſibimet ſatisfaciant, atque non diſtinguantur ab aliis ejuſdem qualitatis, & ſexus mulieribus adfectata negligentia, vel ritu peculiari: dico tamen, ſi hujuſmodi ornatus intuentibus peccandi præbent occaſionem, ipſas etiam peccare, atque teneri ad ſcandali hujus confeſſionem, ac debere impoſterum hanc omittere curam ſeſe comendi, & ornandi. Mutent, oportet, ornatus, cultuſque ſuos, atque ſua indumenta caſtigent; alioquin ſemper erunt in mortali peccato, ac nullam unquam, niſi fallacem, agent pœnitentiam. Illud etiam addo, quamvis in omnibus hiſce ornatibus nihil eſſet, quod in ipſo malum, pravumque haberetur, ad id ut eos relinquere teneantur, ſatis eſſe, ſi illis tanquam illecebris peccati, ac innocentiæ laqueis abutantur. Neque prodeſt aſſerere, vos non eſſe deterioris conditionis, quam cæteras; vobis eſſe divitias, atque in hoc jure uti veſtro. Etenim ex conſcientia, & obedientia, quam Deo, nec non charitate, quam proximo debetis, tenemini ea omnia relinquere, quæ huic ſcandalum poſſunt afferre: hi ornatus; recenteſque veſtius ritus, hæ nuditates, quæ per hæc velamina adfectata, & improbæ videntur, illi ſcandalum afferunt, eumque in ſcelus impellere poſſunt. Tenemini ergo huic cultui abrenunciare. *P. Gegou in libro, cui titulus; Uſus Sacramenti Pœnitentiæ*.

Scandalum quod mulieres immodeſtis ornatibus ſuis gignunt.

Non conſpicis impudice, ſed conſpiceris. Verba hæc ſunt S. Cypriani, ac Tertulliani. Fortaſſe laſcivos oculos non circumfers, ſed in te ab aliis feruntur. Nulla inhoneſtæ voluptatis labe pollueris, ſed te ipſam ea polluit voluptas, quam aliis præbes. Quis non deteſtetur, quod tot aliis funeſtum eſt? Quis uti velit eo, quod mortem intulit illis, qui eodem uſi ſunt? Si quis poſt epotum pharmacum, aut cibum aliquem deglutitum, repente e vivis decederet, profecto nequaquam dubitares, utrum pharmacum, vel cibus veneno fuerint imbuti, atque diligentiſſime caveres, ne quid tale labiis tuis admoveretur. Hæc autem ornamenta, hi calamiſtri, & artes, quibus ſpeciei tuæ decorem addere conaris, & quibus aliorum oculis te commendare putas, quamplurimos e mundo perdiderunt, hodieque perdunt; tu vero non pereas per ea, per quæ tot alii periere? Falleris, atque tibimet ipſi blandiris freta virtute, ac ſapientia tua, & rara nihil in animo tuo, niſi honeſtiſſimos ſenſus foveri. *Redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus*, Tertullianus inquit. Ornatus iſte, adfectatus hic cultus, qui cum mundanis mulieribus tibi communis eſt, falſum id probant, quod inquis, atque te condemnant. Non ſatis eſt, ut in honeſtarum fœminarum albo recenſearis, talem intus eſſe, niſi talis etiam extrinſecus videaris: ita ut qui te vident non dubitent, quænam vere ſis. Honeſtas, & virtus ſeſe extrinſecus promere debent modeſto corporis habitu, & cultu. Virtutes quoque ſuos habent ornatus, ut vitia ſuos. *Idem*.

Unica placendi voluptas ſuadere poteſt mulieribus ornamenta.

Si jure Patres aſſerunt, in chriſtianarum mulierum albo eas recenſeri non poſſe, quæ ita ſe comunt, ut placere poſſint, heu! quam modicus hodierna die eſt mulierum chriſtianarum numerus? Dicent illæ quidem, ſe id minime quærere, ut videlicet placeant: eſto: verum illas nequaquam puderet, vel pigeret, ſi ad id ſe non ſatis belle comptas, ornataſque arbitrarentur: alioquin cur tandiu ſpeculum conſulerent? Cur tot artes inquirerent ad oris labes tegendas, utque eæ videantur, quæ minime ſunt? Mirum! Tertullianus ait, prohibet Deus ore, ac verbo mentiri, quia injuſtum eſt proximum fallere; hæ vero arbitrantur licere ſibi mentiri, & fallere proximum omnibus corporis partibus, oculis, capillis, oris colore, corporis habitu, inceſſu, fidem adſtruere cupientes ſe id eſſe, quod non ſunt, & quod ſunt, non eſſe. *Idem*.

Juxta Apoſtoli doctrinam qui, & quæ ſacro ſunt baptiſmate abluti, indui debent Jeſum Chriſtum. Cum hoc ſacramentum reciperent, ſæculi pompis, & vanitatibus abrenunciarunt. At nonne eſt ſe ſe illis implicare rebus quibus abrenunciatum eſt, dum magnificæ veſtes, ſuperbaque vanitatis ornamenta perquiruntur? Nonne hæc publica profeſſio eſt, negari ea, quæ palam promiſſa fuere, dum ea, quæ objecta fuerant, reſumuntur? Atque ſi anima vere chriſtiana circumferre debet Jeſu Chriſti mortificationem in omnibus corporis ſui partibus, omnia hæc vanitatis inſtrumenta cum evangelii ſenſibus conciliare. *Idem*.

Circumſtantiæ, quæ nocentem efficiunt luxum veſtiumque immodeſtiam.

Fateor equidem, abſolute loquendo, nihil mali eſſe, ſi te ipſam pretioſis veſtibus ornes, at nihilne mali eſt immodici pretii ornamenta deferre; æs alienum conflare, ut niteas; atque mercatoribus pactam differre pecuniam, ut luxum tuum nutrias? Nihilne mali eſt, o matronæ, ſingulis vitæ diebus plurimum impendere temporis calamiſtris criſpantes comam, ac voſmet muliebri mundo exornantes? Nihilne mali eſt voſmet comere, & indui coram famulis ea, qua noſtis, immodeſtia, & quam vobis exprobrari pudor ipſe vetat? Nihilne mali eſt, viros opem vobis ferre cum induimini, eamque vobis operam præſtare? quam ipſæ vobis præſtare deberetis? *P. le Valois epiſtola undecima de receſſu*.

Eccleſiaſticorum veſtes ſtatum ipſorum parum decentes.

Quid diceres, immo quid quotidie non dicis de eccleſiaſticis hiſce, qui vix a profaniſſimo quovis ſeſe diſtinguunt, qui adeo mundanam affectant munditiem, veſtes adeo vanas, adeo ridicula ornamenta, ac mores, qui adeo parum decent ſtatum ipſorum? At inquies, nunquid diſplicet tibi eos mundos eſſe, honeſtos, urbanos? Haud equidem, neque enim æquum eſt in illis damnare id, quod virtus eſſe poteſt. Se ſe igitur ornent, immo etiam concinne; videant honeſtos homines, & cum illis honeſte verſentur; ſed ſe ipſos ornent, uti eccleſiaſticos decet? munditia eorum profeſſioni illorum fit conformis, & reverentiam eorum charačteri conciliet apud eos omnes, quicumque teſtes fuerint actionum ipſorum. *P. de la Colombiere ſerm.* 48.

In ſcena, atque theatris imprudentiores veſtium ritus videri, ac niteſcere incipiunt, & mulieres, quæ frugi haberi cupiunt, religioni ſibi minime vertunt eos ornatus imitari, qui in ſpectaculis prodiere. Inde profecta eſt perniciosa illa traditio, quæ quodam ſucceſſionis veluti jure a matribus ætate provectioribus ad filias migrat; quæ res efficit, ne matres, quæ habitum contraxerunt, nequaquam in filiabus ſuis malum putent magnificas haſce veſtes, quæ corpus aperiunt potius, quam tegant; & quidquid ipſæ gerere conſueverunt. *Auctor Anonymus*.

Sententiæ quorumdam Sanctorum Patrum de veſtium luxu.

Veſtium magnificentia, & ornatus, nec non cultus omnis, qui oris ſpeciem commendat, ſolas decet meretrices. Nulli major eſt ornandi ſui corporis cura, quam quibus honoris ſui tuendi cura minor eſt. Hac de cauſa Deus in divinis Scripturis urbem libidini mancipatam exhibet ſub imagine meretricis locupletiſſime exornatæ, ac brevi cum omnibus ornatibus ſuis perituræ. Hæc S. Cypriani in lib. de diſcipl. & hab. Virg. ſententia eſt cui S. Baſilius Regul. 72. addit, mulieribus nequaquam ſtudendum eſſe, quo pacto muliebri mundo ſuam oris pulchritudinem extollant, ſed potius omnes curas ſuas bonis impendere operibus, in quibus ſibi perſuadere debent totum mulierum chriſtianarum ornamentum conſiſtere. Sed S. Chryſoſtomus non minus virorum, quam mulierum luxum perſtringit. Luxus, ait ille, oſtendit ſimul mollitiem humani cordis, ſpiritus crudelitatem, & animæ vanitatem, Et profecto qui his immoratur ineptiis, aliquidne utile, ſeriumque cogitare poteſt? Quandonam geret curam animæ ſuæ, vel potius quandonam animam ſibi eſſe cogitabit. *Idem*.

Tertulliani hac de re ſententia.

Tertullianus ad mulieres loquens de veſtium magnificentia his utitur verbis: Si tanta in terris moraretur fides, quanta merces ejus expectatur in cœlis, nulla omnino veſtrum, ſorores dilectiſſimæ, ex quo Deum vivum cognoviſſet, & de ſua, id eſt fœminæ conditione didiciſſet, lætiorem habitum, ne dicam glorioſiorem, appetiiſſe, ut non magis in ſordibus ageret, & ſqualorem potius adfectaret ipſam ſe circumferens Evam lugentem, & pœnitentem, quo plenius id, quod de Eva trahit (ignominiam dico primi delicti, & invidiam perditionis humanæ) omni ſatisfactionis habitu expiaret... Propter tuum meritum, id eſt mortem etiam filius Dei mori habuit, & adornari tibi in mente eſt ſuper pelliceas tuas tunicas? *Ex Tertulliano de habitu muliebri*.

Gravius peccatū eſt magnificis indutas veſtibus mulieres in templum accedere.

Semper malum eſt aureis uti ornamentis; ſed longe gravius malum eſt magnificentiam hanc in templum uſque inferre, atque cum hoc apparatu tranſire per tot pauperes, qui ad templi oſtium ſiti ſunt. Si tibi animus eſſet excitandi omnes in te, non meliorem invenire poſſes rationem, quam bona, quibus a Deo aucta fuiſti, in luxum pauperibus adeo crudelem impendere. Cogita quomodo magnificentia tua hanc irritet turbam miſerorum, qui te prætereuntem vident, quos fames devorat, & quorum nuditas contra ſuperba veſtimenta tua ultionem depoſcit. *S. Chryſoſtomus in Matthæum*.

Veſtes nobis datæ ſunt ad nuditatis noſtræ turpitudinem tegendam, non autem ad corpora ornanda, atque ut per illas objiciamur rei, quæ ipſa nuditate turpior eſt. Ita Deum, qui pretioſis veſtibus Adam, & Evam contegere potuiſſet, pelliceis tantum illos operuiſſe, ut ex rudibus hiſce, incomptiſque indumentis intelligeremus, vitam hanc a primis uſque mundi temporibus nequaquam tempus fuiſſe deliciarum, & voluptatum, ſed paſſionum, & lacrymarum. Quod ſi neceſſitas, qua tenetur homo ſeſe indumentis cooperire, ignominiæ nota eſt ex illius peccato profecta, cur vis per vanitatem tuam inde occaſionem præbere Deo, ut te exprobret, atque corripiat? Cura, qua veſtimentis noſmet contegere ſtudemus, non ne ſufficiens eſt noſtræ infelicitatis, lapſuſque teſtimonium? Cur ſcelus tuum adhuc gravius efficis? cur tuas multiplicans neceſſitates ſcelera quoque multiplicas? Nonne ſatius eſſet lacrymis, atque gemitibus peccatum tuum expiare? *Ex S. Chryſoſtomo de providentia*.

Modeſtia melius viros, ac mulieres ornat, quam veſtium magnificentia.

Modeſtia, & gravitas mulieris reverentiam injicere, & curioſorum obtutuum impudentiam, nec non juvenum licentiam debet coercere. Quamobrem ornatus; cincinni, criſpatæ calamiſtro comæ, & magnifica indumenta illi interdicta eſſe debent, ne inanium horum ornamentorum nitore, & commendatione in ſe mortalium convertat oculos, eoſque ad peccandum compellat. Verum cum Biblia vetant, ne ſe ſe ornent mulieres, nonne palam oſtendunt hoc multo magis dedecere virum, qui non niſi neceſſitatis ergo ſe ipſum debet induere? Pulchritudinem, ac pompam indumentorum conſectari imbecillitatis, ac mollitiei nota eſt; anima enim ad res magnas nata, ſi ſemel concipere poteſt, quinam ſit verus ejuſdem ornatus, nonniſi cum contemptu reſpiciet inanem fulgorem hunc, qui in veſtibus dumtaxat renidet, & deſideria ſua ad ſublimiorem ſplendorem attollens innocentiæ, & puritatis tuendæ curam conſiderabit tanquam reverentia digniorem majorique habendam in pretio, quam quidquid, ad inania corporis ſpectat ornamenta. Corporis habitus, modeſtus, honeſtuſque fidelis eſt imago, & quoddam veluti certum ſignum ſtatus interioris animæ. *Idem partim in ſermone de Zachæo, partim in Sermone Paſchatis*.

De veris, fictiſque comis.

Natura, inquit Apoſtolus, nonne docet, turpe eſſe homini nutrire comam, atque eam in capitis ornamentum convertere: mulieri vero decorum eſſe alere crines ſibi a Deo pro capitis velamine traditos? Hic naturæ ordo eſt, quem hominis cupiditas prævertit. Mulieres nunc ſibi comas reſecant, homines vero cæſariem comunt, ac illi contra naturæ legem curarum ſuarum partem impendunt. Natura, quæ ex Dei manibus egreditur, mundanis non placet mulieribus, quæ nunquam voti ſui compotes factæ ſe ipſas variis rationibus torquent, ut illum inveniant ſitum, qui formæ ſuæ nitorem addat, & propter quem aliæ omnino ab illis, quæ ſunt, videantur. *Ex tractatu contra luxum calanticarum*.

Luxus perniciosus eſt moribus & vitæ civili.

Commercium quibuslibet temporibus viguit ſine luxus auxilio; merces majoris momenti, quæ importantur, & exportantur, nequaquam illæ ſunt, quæ a luxu adhibentur: liquet, hunc pretioſiſſima etiam metalla, aurum, argentumque deſtruere, & familias ad paupertatem redigere. Luxum tolle, plurimum conferes, ut virtus refloreſcat, ut exulent vitia, ut terra vitæ adeo neceſſaria excolatur. Galli olim bellicis laboribus innutriti, ac naturale menſæ, indumentorumque ſimplicitati aſſueti miſere in luxum generarunt. Hæ tanti pretii fictitiæ comæ, hæc aurea, argenteaque veſtimenta, hæ tunicæ acu phrygio depictæ, denticulata hæc opera ex exoticis advecta regionibus id ſatis ſuperque probant... Deſiderium ſe ſe ornandi, atque inter alios veſtium nitore, ac ſumptu emicandi peſtis eſt, quæ animam inſi-